61e ANNEE (7e SÉRIE) N° 5 1er FEVRIER 1951

L'AMI DU CLERGÉ

Paraît à Langres tous les jeudis

Mgr A. ROZIER
Protonotaire apostolique *ad instar participantium*
Directeur

Mgr F.-M. CATHERINET
Prélat de la Maison de Sa Sainteté
Codirecteur

Exhortation de S.S. Pie XII au Clergé

INTRODUCTIO

Vox Divini Redemptoris et Principis Apostolorum. Præcipua cura Summi Pontificis pro sacerdotibus et gratus animus erga eos.
Sacerdotium, magnum Dei donum. Oportet illi fideliter respondere.

PARS I. — *Sanctitas vitæ sacerdotalis*

Perfectio consistit in fervore caritatis, qui sacerdotem addecet.

IMITATIO CHRISTI

Conjunctio intima cum Christo, uti summo Exemplari. Initium christianæ perfectionis est humilitas, quæ ducit ad voluntatis immolationem per obœdientiam.
Custodia cælibatus per vigilantiam et orationem, devitando familiaritatem.
Sacerdos, a divitiis terrenisque rebus abalienus, omnibus virtutibus ornatus sit.

NECESSITAS GRATIÆ SUPERNÆ AD IMITATIONEM CHRISTI PERSEQUENDAM

Vita sacerdotis imitari debet sacrificium Christi, Sacerdotis et Victimæ in monte Calvariæ et in Eucharistico Sacrificio, ex quo thesauros gratiæ haurit ad sanctitatis verticem assequendum.

NECESSITAS ORATIONIS ET EXERCITIORUM PIETATIS

Recitatio divini Officii, uti vox Christi et Ecclesiæ, medium efficax sanctificationis, si recta intentione una cum Christo atque diligenti meditatione absolvatur.
Pietatis exercitia fovenda : Meditatio sacra cotidiana, supplicatio vocalis, incensa erga Christi Matrem pietas, visitatio eucharistica, perscrutatio conscientiæ, frequentia Pænitentiæ Sacramenti, in spiritualibus consilium, Exercitia spiritualia.

PARS II. — *Sanctitas in sacro ministerio*

Sacerdos, dispensator mysteriorum Dei, apostolatum exercens, juxta formas quibus hodie christifideles indigent et cum Christo conjunctus, caveat « actionis hæresim », æmulator sanctorum.
Sacerdos, Christi exempla persequens per caritatem, cum temperata terrenarum rerum abstinentia et congrua doctrina, sacerdotale munus magis salutiferum reddat, uti fulget in vita Sanctorum ac præsertim S. Josephi Cafasso.

PARS III. — *Normæ ad hodiernæ vitæ usum*

Recta selectio cleri. — Cura vocationum. — Institutio intellectualis, litteralis et scientifica. — Necessitas doctrinarum philosophicæ et theologicæ. — Institutio spiritualis et moralis. — Cura novellorum sacerdotum. — Bibliothecæ in usum cleri.

PARS IV. — *Difficultates præcavendæ*

Pericula nostræ ætatis. — Clerus et quæstio socialis. — Sollicitudo Summi Pontificis pro clero indigenti.

Monita, hortamenta ac vota pro omnibus Dei Ministris, præsertim pro iis Antistitibus ac Sacerdotibus, qui persecutionem patiuntur.

ADHORTATIO APOSTOLICA

AD CLERUM UNIVERSUM PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTEM : DE SACERDOTALIS VITÆ SANCTITATE PROMOVENDA

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Introductio *

Menti Nostræ vox resonat Divini Redemptoris Petro dicentis : *Simon Joannis, diligis me plus his ?... pasce agnos meos, pasce oves meas* (Jo., XXI, 15 et 17) ; itemque illa, qua idem Apostolorum Princeps Episcopos ac sacerdotes ætatis suæ hisce verbis adhortabatur : *Pascite qui in vobis est gregem Dei, ...forma facti gregis ex animo* (I Petr., V, 2 et 3).

Præcipua cura S. Pontificis pro sacerdotibus

Quæ verba attento animo considerantes, præcipuas esse supremi ministerii Nostri partes putamus id efficere pro viribus, ut sacrorum Pastorum ac sacerdotum opera, quæ christianum populum ad vitanda mala, ad superanda discrimina et ad sanctimoniam assequendam conducat oportet, efficacior cotidie fiat ; quod quidem nostris præsertim temporibus necessarium est, dum adhuc gentes ac populi ob recens, immane bellum non modo gravibus difficultatibus vexantur, sed animorum etiam perturbatione acerrime afficiuntur ; et dum catholici nominis hostes ob rerum adjuncta, in quibus civilis societas versatur, audaciores facti, homines a Deo et a Jesu Christo arcere exitiali odio obtectisque insidiis enituntur.

Christianæ instaurationis necessitas, quam hodie boni omnes cernunt, Nos jubet mentem voluntatemque Nostram ad totius orbis sacerdotes potissimum convertere, quandoquidem novimus humilem, vigilem studiosamque eorum operositatem, qui, in media plebe cum vivant, ejus ægritudines, pœnas ac corporis animique angustias perspectas habent, posse evangelicis præceptis omnium renovare mores, ac Jesu Christi « Regnum justitiæ, amoris et pacis » [1] firmissime in terris constabilire.

Verumtamen haud possibile est sacerdotale munus plenos nancisci effectus, qui ætatis hujus nostræ necessitatibus omnino respondeant, nisi sacerdotes circumstanti populo insignis sanctitatis fulgore præluceant ; sintque digni *ministri Christi*, fideles « *dispensatores mysteriorum Dei* » (Cf. I Cor., IV, 1), efficaces *Dei adjutores* (I Cor., III, 9), ad omne opus bonum instructi (II Tim., III, 17).

Jamvero nullo Nos posse aptiore modo putamus universo clero gratam profiteri voluntatem Nostram — qui quidem quinquagesimo exeunte sacerdotii Nostri anno, per admotas ad Deum preces suam erga Nos pietatem testatus est — quam si clericos omnes ad illam assequendam sanctitudinem paterno adhortemur animo, sine qua concreditum eisdem ministerium frugiferum esse non potest. Annus Sacer, quem ea spe indiximus, ut omnium mores evangelicis præceptis redintegrarentur,

* Les sous-titres sont ajoutés par nous (*N.D.L.R.*).
[1] Præf. Miss. in festo Jesu Christi Regis.

hoc imprimis afferat optamus, ut nempe, qui christiani populi sunt duces, ad virtutis verticem alacriore gradu contendant, atque ita animati, ita instructi, sibi creditum gregem Jesu Christi spiritu renovent.

Sacerdotium magnum Dei donum

Quodsi adauctæ hodie christianæ societatis necessitates internæ perfectionis formam magisque a sacerdotibus postulant, animadvertendum tamen est eos, ex ipsius altissimi muneris natura divinitus accepti, sanctitatis officio teneri semper, ubique totisque viribus assequendæ.

Quemadmodum Decessores Nostri peculiarique modo Pius X [2] et Pius XI [3] docuere, ac Nosmet ipsi in Encyclicis Litteris *Mystici Corporis* [4] et *Mediator Dei* [5] attigimus, sacerdotium utique magnum est donum Divini Redemptoris ; qui quidem ut humani generis redemptionis opera, quam ipse e Cruce pendens consummavit, ad sæculorum usque occasum perpetuaretur, potestatem suam Ecclesiæ commisit, quam unici æternique sacerdotii sui participem esse voluit. Sacerdos veluti *alter Christus* est, cum indelebili sit charactere insignitus, quo viva Servatoris nostri quasi imago efficitur ; sacerdos Jesu Christi partes agit, qui dixit : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Jo., xx, 21) ; *qui vos audit, me audit* (Luc, x, 16). Cælesti quodam instinctu ejusmodi ministerio augustissimo initiatus, *pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (Hebr., v, 1). Ad eum igitur accedat oportet quisquis Divini Redemptoris vitam vivere, atque vim, solacium animique alimentum accipere cupit ; itemque ab eo opportuna remedia quærat, quisquis a collapsis moribus ad frugem bonam reverti nititur. Itaque sacri omnes administri jure meritoque Apostoli gentium sententiam sibi tribuere queunt : *Dei... sumus adjutores* (I Cor., III, 9).

Excelsa hæc dignitas a sacerdotibus postulat ut gravissimo officio suo fidelitate summa respondeant. Cum divinæ in terris provehendæ gloriæ ac mystico fovendo augendoque Christi Corpori inservire debeant, oportet omnino ita sanctitudinis fulgore præstent, ut per eos *Christi bonus odor* (II Cor., II, 15) usquequaque propagetur.

Eo ipso die, quo vos, dilecti filii, ad sacerdotale fuistis evecti munus, Episcopus sollemniter Deique nomine præcipuum a vobis exsequendum officium hisce verbis indicavit : *Agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis ; quatenus mortis dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei ; sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi ; ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum, id est familiam Dei* [6]. A peccatis omnino immunis, vita vestra, magis quam ea, quam christiani e laicorum ordine ducunt, abscondita sit cum Christo in Deo (Cf. Col., III, 3) ; atque ita eximia illa virtute exornati, quam vestra exigit dignitas, humanæ redemptionis opus perficiendum pergite, ad quod quidem sacerdotalis consecratio vos destinavit.

Hoc propositum est, quod vos ultro libenterque exsequendum suscepistis ; sancti estote, quia, ut nostis, sacrum est ministerium vestrum.

I. — Sanctitas vitæ sacerdotalis

Perfectio consistit in fervore caritatis

Ex Divini Magistri sententia (Cf. Matth., XXII, 37, 38, 39), christianæ vitæ perfectio caritate erga Deum, erga proximos potissimum innititur, quæ tamen flagrans, studiosa, operosa sit. Ea enim, si ita conformatur, omnes quodammodo amplectitur virtutes (I Cor., XIII, 4, 5, 6, 7) ; atque adeo jure meritoque *vinculum perfectionis* (Col., III, 14) dici potest. In quibusvis igitur rerum condicionibus versetur homo, opus est prorsus ut mentem suam suosque actus ad hoc propositum dirigat.

Ad id tamen peculiari officio adstringitur sacerdos. Quævis enim ejus sacerdotalis actio suapte natura — quatenus nempe sacrorum administer hac de causa divinitus vocatus est, ac divino munere divinoque charismate insignitus — ut ad hoc contendat necesse est ; ipse enim Jesu Christo, unico æternoque sacerdoti, sociam operam navare debet ; eumque sequatur, imitetur oportet, qui, cum terrenam vitam ageret, nihil potius habuit, quam incensissimum suum erga Patrem amorem testaretur suique Cordis infinitos thesauros hominibus impertiret.

I. — Imitatio Christi

Conjunctio intima cum Christo

Præcipuus, quo sacerdotis animus moveri debet, impulsus eo contendat, ut cum Divino Redemptore arctissime conjungatur, ut christianæ doctrinæ præcepta integerrime docilique voluntate amplectatur, utque eadem quovis suæ vitæ tempore tam impense ad effectum deducat, ut suæ agendi rationi catholica fides præluceat, ejusdemque fidei splendorem sua agendi ratio quodammodo reverberet.

Hujus virtutis fulgore ductus, continenter suos oculos ad Christum convertat ; ejus præscripta, actiones, exempla studiosissime sequatur ; sibique omnino persuasum habeat non satis esse eis se officiis, quibus christifideles tenentur, obtemperare, sed oportere etiam citatiore cotidie gradu ad illam contendere quam excelsa sacerdotalis dignitas postulat, vitæ perfectionem, secundum illud : *Clerici debent sanctiorem præ laicis vitam interiorem et exteriorem ducere, eisque virtute et recte factis in exemplum excellere* (can. 124).

Sacerdotalis vita, ut a Christo oritur, ita nullo non tempore ad eum omnino dirigatur necesse est. Christus autem Dei Verbum est, qui humanam naturam non est dedignatus assumere ; qui hanc terrestrem vitam egit ut Æterni Patris obtemperaret voluntati ; qui se circum lilii suavitatem effudit ; qui in paupertate vixit ; *qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes* (Act. Ap., x, 38) ; qui denique se hostiam pro fratrum salute obtulit. Habetis, dilecti filii, mirabilis hujus vitæ summam veluti ante oculos positam ; eam in vos referre omni nisu studeatis, incitamenti illius memores : *Exemplum... dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* (Jo., XIII, 15).

Humilitas et obœdientia

Christianæ autem perfectionis initium ex humilitatis virtute oritur. *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (Matth., XI, 29). Nos siquidem probe considerantes ad quam celsissimam dignitatem per Baptisma et sacrum Ordinem vocati fuimus, ac spiritualem nostram noscentes inopiam, divinam illam meditemur sententiam Jesu Christi asseverantis : *Sine me nihil potestis facere* (Jo., XV, 5).

Sacerdos non suis viribus confidat, non suis dotibus immodice delectetur, non hominum æstimationem laudationesque captet, non amplioribus muneribus cupide inhiet, sed Christum imitetur, qui *non venit ministrari, sed ministrare* (Matth., XX, 28), ac semet ipsum ad Evangelii normam abneget (Cf. Matth., XVI, 24), terrenisque rebus nimis ne adhæreat, ut facilius atque expeditius divinum sequatur Magistrum. Quidquid habet, quidquid est, ex Dei bonitate virtuteque defluit ; si igitur gloriari velit, Apostoli gentium verba meminerit : *Pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis* (II Cor., XII, 5).

Illius humilitatis studium, quæ fidei luce collustretur, hominem ad quamdam voluntatis immolationem per de-

[2] Exhortatio *Hærent animo* ; (*Acta Pii X*, vol. IV, p. 237 sq.).
[3] Litt. Enc. *Ad catholici sacerdotii* (*A. A. S.*, XXVIII, 1936, p. 5 sq).
[4] *A. A. S.*, XXXV, 1943, p. 193 sq.
[5] *A. A. S.*, XXXIX, 1947, p. 521 sq.
[6] *Pontificale Rom.*, De ord. presbyt.

bitam obœdientiam compellit. Christus ipse in societate ab se condita legitimam constituit auctoritatem, quæ suam in ævum perpetuaret ; quamobrem qui Ecclesiæ obtemperat moderatoribus, Divino ipsi Redemptori obtemperat.

Ætate hac nostra cum auctoritatis fundamentum temerario ausu concutiatur, opus omnino est ut sacerdos, fidei præcepta firma retinens mente, hanc eamdem auctoritatem agnoscat riteque observet, veluti necessarium non modo religiosarum ac socialium rerum tutamentum, sed suæ etiam ipsius procurandæ sanctitatis principium. Dum divini nominis osores nefaria quadam calliditate immodicas nonnullorum cupidines incitare ac pellicere idcirco enituntur, ut adversus Sanctæ Matris Ecclesiæ jussa eos erigant, debitis Nos cupimus exornare laudibus paternoque confirmare animo frequentissimum illorum sacrorum administrorum agmen, qui quidem, ut christianam suam obœdientiam luculenter profiterentur, utque integerrimam suam fidelitatem erga Christum ab eoque constitutam auctoritatem servarent incolumem, *digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (Acta Ap., v, 41) ac non solum contumelias, sed insectationes, sed carcerem atque etiam mortem.

Custodia cælibatus

In earum rerum ordine operatur sacerdos, quæ ad supernam vitam pertinent, cum ejusdem supernæ vitæ incrementa provehat, eamque cum mystico Jesu Christi Corpore communicet. Quamobrem negotiis illis vale dicat oportet *quæ sunt mundi*, ut ea solummodo curet *quæ Domini sunt* (I Cor., vii, 32, 33). Cum igitur a sæculi sollicitudinibus liber esse debeat, seseque totum divino servitio mancipare, cælibatus legem Ecclesia constituit, quo magis etiam magisque manifestum omnibus pateat eum esse Dei administrum animorumque patrem. Qua quidem cælibatus lege potius quam paterni muneris officium omnino amittat sacerdos, in immensum revera adauget, quandoquidem non terrenæ huic ac caducæ vitæ subolem parit, sed cælesti perpetuoque mansuræ.

Quo splendidius autem sacerdotalis castimonia refulget, eo magis sacrorum administer fit una cum Christo *hostia pura, hostia sancta, hostia immaculata* (Missale Rom., can.).

Quam quidem castimoniam ut integerrimam, quasi inæstimabilis pretii thesaurum, omni cura servemus, opportunum ac necessarium est illi Apostolorum Principis adhortationi religiose obsequi, quam cotidie in horariis precibus repetimus : *Sobrii estote, et vigilate* (I Petr., v, 8).

Advigilate utique, dilecti filii, quandoquidem castitati vestræ tot periculo occurrunt, tum ob mores publice pessumdatos, tum ob vitiorum illecebras, quæ vobis hodie tam facile insidiantur, tum denique ob nimiam illam necessitudinum libertatem, qua utriusque sexus cives utuntur, et quæ interdum in sacri etiam ministerii exercitium irrepere audet. *Vigilate, et orate* (Marc., xiv, 38), semper memores manus vestras res sanctissimas tangere ; itemque memores vos esse consecratos Deo, eidemque debere unice servire. Vestis ipsa, quam geritis, quodammodo vos admonet ut non mundo, sed Deo vivatis. Omni igitur nisu omnique alacritate efficite, maternæ confisi Deiparæ Virginis tutelæ, ut *nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* [7] cotidie sitis.

Quam ad rem opportunum ducimus peculiari modo vos adhortari ut in mulierum consociationibus ac sodaliciis moderandis tales vos exhibeatis, quales sacerdotes addecet ; familiaritatem omnem devitate ; ac quotiescumque opera vestra necessaria est, eam utpote sacri administri impertite. Atque in iisdem consociationibus dirigendis navitatem vestram is contineatis limitibus, quos sacerdotale ministerium vestrum postulat.

Sacerdos a divitiis abalienatus sit

Nec satis habeatis per castimoniam voluptatibus carnis renuntiare ac per obœdientiam moderatoribus vestris voluntatem sponte subjicere, sed animum quoque a divitiis terrenisque rebus cotidie magis abalienatum gerite. Etiam atque etiam vos adhortamur, dilecti filii, ut res fluxas ac perituras hujus mundi ne nimis diligatis ; sanctisssimos veteris nostræque ætatis viros venerabundi in exemplum intuemini, qui quidem, debitam externorum bonorum abstinentiam summamque Providentis Numinis fiduciam cum flagrantissimo sacerdotali studio conjungentes, miranda prorsus opera patrarunt Deo unice confisi, qui necessaria nunquam auxilia denegat. Sacrorum etiam administri, qui paupertatis officio ob peculiare nuncupatum votum non obligantur, hujus paupertatis amore ducantur oportet ; quem quidem amorem simplicis ac moderatæ vitæ ratio demonstret, habitatio non sumptuosa declaret, ac denique generosa erga egenos largitas confirmet. Potissimum vero se abstineant ab œconomicis illis inceptis, quæ eos a sacris obeundis muneribus abstrahant, debitamque sibi imminuere possint christifidelium æstimationem. Sacerdos siquidem, cum in animorum salutem procurandam omni ope incumbat necesse sit, illam sibi Apostoli Pauli sententiam tribuere debet : *Non... quæro quæ vestra sunt, sed vos* (II Cor., xii, 14).

Si heic opportunitas haberetur de virtutibus omnibus enucleate agendi, quibus sacerdos divinum Jesu Christi exemplar aptiore, quo potest, modo in se referat opus est, multa profecto, quæ menti Nostræ occurunt, pertractaremus ; voluimus tamen ea solummodo peculiari modo menti vestræ inculcare, quæ nostris hisce temporibus potiore ratione necessaria viderentur ; ad ceteras autem quod attinet, hanc satis esto aurei libelli de imitatione Christi recordari sententiam : *Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus ; et aliis bonæ vitæ exemplum præbere. Eius conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum Angelis in cælo, aut cum perfectis viris in terra* [8].

II. — Necessitas gratiæ ad imitationem Christi

Nemo est qui ignoret, dilecti filii, singulis christianis peculiarique modo sacerdotibus possibile non esse miranda Divini Magistri exempla in cotidianæ vitæ usu imitari, nisi supernæ gratiæ auxilio fruantur, iisque utantur ejusdem divinæ gratiæ instrumentis, quæ ipsemet nobis dilargitus est. Idque eo magis evadit necessarium, quo excelsior perfectio est, quam nos attingere debemus, et quo graviores ex natura nostra, in malum prona, oriuntur difficultates. Qua quidem ratione ducti, opportunum putamus gradum facere ad alias, grandidatis ac solacii plenas, proponendas veritates, ex quibus vel luculentius patet quam elata esse debeat sacerdotalis sanctitas, et quam efficaces sint opes nobis a Jesu Christo datæ, ut divinæ misericordiæ consilia ad effectum in nobis deducere possimus.

Imitatio Christi, sacerdotis et victimæ

Quemadmodum omnis Servatoris nostri vita ad sui ipsius sacrificium ordinata fuit, ita pariter sacerdotis vita, qui Christi imaginem in se referre debet, cum eodem, in eodem per eumdemque gratum fiat sacrificium oportet.

Siquidem sacrificium, quod Divinus Redemptor e cruce pendens in Calvariæ monte obtulit, non sui proprii corporis tantummodo immolatio fuit ; ipse enim semet ipsum piacularem hostiam dedit utpote humani generis Caput ; atque adeo « *cum spiritum suum in manus Patris commendat, ut homo seipsum commendat Deo, ut omnes homines Deo commendet* » [9].

[7] *Pontificale Rom.*, In ordin. Diacon.

[8] *De imit. Christi*, iv, c. 5, ℣ 13, 14.

[9] S. Athanas., *De incarnatione*, n. 12 : *P. G.*, xxvi, 1003 s.

Idem profecto in Eucharistico sacrificio contingit, quod incruenta est crucis sacrificii renovatio : Christus enim semetipsum Æterno Patri offert pro sua gloria nostraque salute ; quandoquidem autem ipse, sacerdos et hostia, ut Ecclesiæ Caput agit, non modo semetipsum, sed christianos universos et quodam modo omnes etiam homines offert et immolat [10].

Jamvero si hoc pro christianis omnibus, majore profecto titulo pro sacerdotibus valet, qui idcirco præsertim Divini Redemptoris ministri sunt, ut Eucharisticum sacrificium peragant. Quo quidem in Eucharistico sacrificio, dum personam Christi sustinentes, panem et vinum consecrant, quæ Corpus et Sanguis Christi fiunt, inexhaustos ex ipso supernæ vitæ fonte haurire possunt salutis thesauros omniaque illa auxilia, quæ sibi non modo necessaria sint, sed suo etiam ipsorum explendo muneri.

Sacrorum nempe administer, dum divinis hisce mysteriis arctissime conjungitur, facere non potest quin esuriat ac sitiat justitiam (Cf. Matth., v, 6) seseque vehementer incitatum sentiat ad illi, qua ornatur, tam excelsæ dignitati vitam æquandam suam, ad eamdemque se devovendi studio conformandam, cum semetipsum debeat una cum Christo quodammodo immolare. Quamobrem Eucharisticum sacrificium non modo celebret, sed etiam intima quadam ratione vivat oportet ; ita enim supernam vim illam haurire potest, qua fiat ut penitus transformetur, atque piacularem Divini ipsius Redemptoris vitam participet.

Ex Apostoli Pauli sententia, præcipuum christianæ perfectionis principium hoc præcepto declaratur : *Induimini Dominum Jesum Christum* (Rom., xiii, 14). Hoc autem præceptum, si ad christifideles omnes pertinet, at potiore quodam modo sacerdotes obstringit. Atqui Jesum Christum indui non modo significat ad ejus doctrinam mentem dirigere suam, sed novam etiam vitam ingredi, quæ quidem ut Thaboris splendoribus fulgeat, Redemptoris nostri debet imprimis, in Calvaria patientis, doloribus angoribusque conformari. Hoc profecto arduum adsiduumque laborem postulat, quo animus noster quasi victima efficiatur, ut cum Christi sacrificio intima ratione communicet. Hic arduus adsiduusque labor non inani voluntate ducitur, non desideriis ac votis concluditur, sed studiosa esse debet indefessaque actio, quæ ad frugiferam animi renovationem contendat ; sed pietatis sit oportet exercitatio, qua omnia ad Dei gloriam referantur ; pænitentiæ sit exercitium, quod immoderatos animi motus temperet ac refrenet ; caritatis sit navitas, quæ nos erga Deum, erga proximos amore inflammet, nosque ad omnia provehenda misericordiæ opera permoveat ; sit denique actuosæ voluntatis alacritas, qua enitendo eluctandoque perfectissima quæque attingamus.

Necesse est igitur ut, quod in sacrificali ara agitur, sacerdotalis animus in se referre studeat : quemadmodum nempe Jesus Christus semet ipsum immolat, ita ejus administer una cum illo se immolare debet ; quemadmodum Jesus expiat peccata hominum, ita sacerdos per excelsum christianæ asceseos iter ad propriam perveniat necesse est proximorumque purificationem. Ita enim eum S. Petrus Chrysologus admonet : « *Esto Dei sacrificium et sacerdos ; non amittas quod tibi divina dedit et concessit auctoritas. Induere sanctitatis stolam ; præcingere balteum castitatis ; sit in velamento capitis tui Christus ; crux in frontis tui munimine perseveret ; pectori tuo appone divinæ scientiæ sacramentum ; in odorem thymiama semper orationis accende ; arripe gladium Spiritus ; altare cor tuum pone et sic corpus tuum admove Dei securus ad victimam... Offer fidem, ut perfidia sit punita ; immola jejunium, ut voracitas cesset ; sacrifica castitatem, ut moriatur libido ; impone pietatem, ut deponatur impietas ; invita misericordiam, ut avaritia deleatur ; et ut consumatur stultitia, semper sanctitatem convenit immolare : sic fiet corpus tuum tua hostia, si nullo peccati jaculo fuerit sauciata* » [1].

« *Hoc sentite in vobis...* »

Quæ Nos christianis universis per Encyclicas Litteras *Mediator Dei* meditanda proposuimus, ea placet in præsens iisdem verbis peculiari modo sacerdotibus iterare : « Christus utique sacerdos est, sed nobis non sibi sacerdos, cum vota religionisque sensus totius humani generis nomine Æterno Patri deferat ; idem pariter victima est, sed nobis, cum semetipsum in vicem hominis culpis obnoxii reponat. Jamvero illud Apostoli « *hoc... sentite in vobis, quod et in Christo Jesu* » a christianis omnibus postulat, ut eo modo animum in se referant affectum, quantum humana potest facultas, quo Divini Redemptoris animus affectus erat, cum sui ipsius faciebat sacrificium ; humilem nempe referant mentis demissionem, summæque Dei Majestati adorationem adhibeant, honorem, laudem, gratiarum actionem. Postulat præterea ab iisdem ut victimæ condicionem quodammodo sumant ut semetipsos ad Evangelii præcepta abnegent, ut pænitentiæ ultro libenterque dent operam utque admissa quisque sua detestentur et expient. Postulat denique ut omnes una cum Christo mysticam in Cruce mortem obeamus, ita quidem ut Pauli sententiam usurpare possimus : « *Christo confixus sum Cruci* » [2].

Sacerdotes ac filii dilectissimi, magnum nos habemus in nostris manibus thesaurum ac pretiosissimam margaritam, hoc est inexhaustas Jesu Christi Sanguinis divitias ; iisdem quam largissime utamur, ita quidem ut, per plenum nostri sacrificium Æterno Patri una cum Christo oblatum, veraces efficiamur justitiæ conciliatores *in iis, quæ sunt ad Deum* (Hebr., v, 1), ac mereri possimus, ut preces nostræ benigne excipiantur, ac superfluentem gratiarum imbrem impetrent, quæ Ecclesiam omnesque animos recreent atque fecundent. Tum solummodo, cum nempe veluti unum erimus cum Christo per suam nostramque immolationem, vocemque nostram cum cælestis Hierosolymæ habitatorum choro conseremus secundum illud « *illi canentes jungimur almæ Sionis æmuli* » [3], tum solummodo, Servatoris nostri virtute corroborati, e sanctitatis vertice, quem assecuti fuerimus, tute poterimus ac secure cunctis hominibus impertire per sacerdotale ministerium nostrum supernam Dei lucem supernamque vitam.

III. — Necessitas orationis et exercitiorum pietatis

Perfecta sanctitatis forma id etiam requirit ut cum Deo continenter communicemus ; ut autem ejusmodi communicatio, quæ sacerdotali animo cum Deo intercedat oportet, per subsequentes dies et horas ne intermittatur, Ecclesia sacros administros officio teneri jussit horarias preces recitandi. Ea hoc modo Divini Redemptoris præcepto fideliter obsecuta est dicentis : *Oportet semper orare et non deficere* (Luc., xviii, 1). Siquidem quemadmodum Ecclesia ab effundendis precibus nullo tempore cessat, ita percupit ut filii sui supplicationes numquam intermittant ; iisdemque Apostoli Pauli adhortationem repetit : *Per ipsum* [*Jesum*] *offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus* (Hebr., xiii, 15). Sacrorum autem administris hoc peculiare munus concredit, ut nempe, populi etiam nomine comprecando, omnis temporis rerumque decursum quodammodo Deo consecrent.

Recitatio officii, uti vox Christi et Ecclesiæ

Huic officio obsequens sacerdos, illud vetentibus sæculis, agere pergit, quod Christus fecit, qui *in diebus carnis suæ preces supplicationesque... cum clamore valido et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reve-*

[10] Cf. S. Aug., *De civitate Dei* ; l. X, c. 6 ; *P. L.*, xli, 284.

[1] *Sermo CVII* : *P. L.*, lii, 500, 501.
[2] *A. A. S.*, xxxix, 1947, pp. 552, 553.
[3] *Brev. Rom.*, Hymn. pro off. Dedic. Eccl.

rentia (v, 7). Hæ siquidem preces, cum adhibeantur Christi nomine, hoc est *per Dominum Nostrum J. C.*, qui, conciliator noster apud Patrem, suam eidem perpetuo offert satisfactionem, sua promerita calidissimumque sui Sanguinis pretium, singulari procul dubio efficacitate pollent. Sunt enim peculiari ratione « *vox Christi* », qui « *orat pro nobis ut sacerdos noster ; orat in nobis, ut Caput nostrum* » [4]. Parique modo sunt semper « *vox Ecclesiæ* », quæ vota ac desideria christifidelium omnium refert ; qui quidem una cum sacerdotis precibus ejusque fide conjuncti, laudibus Jesum Christum prosequuntur, ac per ipsum Æterno Patri grates agunt, ab eoque quovis die, quavis hora necessaria impetrant auxilia. Itaque quod Moyses quondam fecit, cum in montis vertice brachia ad cælum extollens cum Deo colloquebatur ab eoque pro populo suo, in subjecta valle ærumnis laborante, misericordiam efflagitabat, id per sacros administros quodam modo cotidie iteratur.

At horariæ preces multum etiam multumque ad sanctitatem efficaciter assequendam conferunt ; non enim agitur solummodo de formularum recitatione, vel de canticis, quæ ex artis legibus rite pangantur ; non agitur solummodo de peculiaribus observandis normis, quas rubricas vocant, vel de externis tantum divini cultus cærimoniis, ; sed potiore ratione agitur de ascensu mentis animique nostri ad Deum, ut cum beatis spiritibus, laudes eidem in æternum concinentibus, copulemur [5]. Quamobrem horariæ preces, ut in earum notatur initio, « *digne, attente ac devote* » recitandæ sunt.

Opus est autem ut sacerdos has supplicationes fundat eadem illa mente, qua Divinus Redemptor precabatur. Est igitur quasi ipsa vox ejus, quæ per suum administrum a clementissimo Patre suo redemptionis beneficia implorat ; est ipsa vox ejus, cui Angelorum Sanctorumque agmina in Cælo, christianorumque multitudines in terra conjunguntur, ut debita Deo gloria referatur ; Jesu Christi advocati nostri vox est, qua immensi suorum meritorum thesauri nobis impertiuntur.

Frugiferas illas veritates, quas Spiritus Sanctus per Sacrarum Litterarum sententias pandit, atque Patrum Doctorumque scripta commentantur, accurate diligenterque meditemini. Dum labia vestra divina verba repetunt quæ afflatu superni Flaminis tradita fuere, nihil tanti thesauri amittatis ; utque animus vester Dei voci fideliter resonet, ea omnia, quæ mentem vestram avocent, adsidue studioseque dispellite ; atque intentas cogitationes vestras colligite, ut faciliore ac fructuosiore ratione æternarum rerum contemplationi vacetis.

In Encyclicis Litteris *Mediator Dei* copiose satis enucleavimus qua de causa Ecclesia per annuum liturgiæ cursum in memoriam revocet aptoque ordine veluti ante oculos repræsentet omnia Jesu Christi mysteria, diesque etiam festos celebrari jubeat Mariæ Virginis sanctorumque Cælitum. Hæc doctrinæ præcepta, quæ christianis universis, utpote omnibus utilissima, impertivimus, addecet omnino vos, sacerdotes, peculiari modo recolere ; vos dicimus, qui per Eucharisticum sacrificium Divinumque Officium, quod dicitur, in hoc eodem liturgiæ cursu præcipuas partes agitis.

Ecclesia præterea, ut nos ad sanctimoniam alacrius cotidie assequendam compellat, alia etiam pietatis exercitia, præter Eucharisticum sacrificium et horarias preces, enixe nobis commendat. De quibus quidem placet aliquid heic attingere vestræque considerationi proponere.

Meditatio quotidiana

Imprimisque ad sacram meditationem nos adhortatur, quæ mentem ad superna transvehit, et ad cælestium rerum cogitationem advocat, itemque animum nostrum, Dei desiderio inflammatum, recta ratione ad eum dirigit. Hæc sacra meditatio aptissime nos præparat ad Eucharisticum celebrandum sacrificium et ad debitas post illud grates agendas Deo ; ad suavem nos inducit liturgiæ pulchritudinem percipiendam gustandamque ; itemque ad æternas veritates et ad miranda Evangelii exempla ac præcepta contemplanda nos permovet.

Jamvero hæc Evangelii exempla Divinique Redemptoris virtutes prorsus necesse est ut sacrorum administri diligentissime in se referant. Sed, quemadmodum corporis cibus vitam nostram non alit, non sustentat, non auget, nisi digestus ac confectus in nostram fuerit substantiam conversus, ita sacerdos, nisi meditando contemplandoque Divini Redemptoris mysteria — qui quidem summum atque absolutum perfectionis exemplar est ac sanctitudinis fons inexhaustus — ejus vitam vivat, sui suorumque sensuum dominio potiri non potest, neque animum purificare suum, neque ad virtutem, ut oportet, contendere, nec denique sacra munera sua fideliter, actuose, frugifere obire.

Gravi igitur officio Nos teneri ducimus ad cotidianæ meditationis usum vos peculiari modo cohortari ; quem quidem usum Codex etiam Juris canonici clericis omnibus commendat [6]. Quemadmodum enim ex cotidiana ejusmodi meditatione sacerdotalis perfectionis studium alitur ac refovetur, ita ex ejus neglegentia illud oritur spiritualium rerum tædium, quo pietas defervescit ac languet, et quo non tantum suus cujusque ad sanctitatem impulsus vel intermittitur, vel retardatur, sed sacri etiam ministerii opera haud levia capiunt detrimenta. Quamobrem jure meritoque asseverandum est peculiarem sacræ meditationis efficacitatem nulla posse alia ratione haberi, atque adeo cotidianus ejus usus nullo alio modo substitui posse.

Supplicatio vocalis

A cælestium autem rerum commentatione contemplationeque supplicationes viva voce factæ ne disjungantur ; ceteræque ne desint privatim precandi formæ, quæ apte, pro peculiari sua cujusque condicione, ad fovendam animi cum Deo conjunctionem conferant. Illud tamen animadvertendum est : potius quam multiplicatas preces, pietatem valere ac verax et ardens supplicandi studium. Hoc enim ardens precandi studium hodie potissimum, si umquam alias, necessarium est, dum « *naturalismus* », qui dicitur, hominum mentes animosque incessit, et dum virtus periculis omne genus circumvenitur, quæ quidem interdum sacrum etiam obeuntibus ministerium occurrunt. Quid enim melius efficere possit, ut ab hisce insidiis præcaveatis, quid aptius mentem vestram ad superna erigat, vosque cum Deo conjunctos vivere jubeat, quam constans ad eum admota oratio divinique supplicatio auxilii ?

Pietas erga Virginem Mariam

Cum autem sacerdotes peculiari titulo Mariæ Virginis filii vocari queant, temperare sibi non poterunt quin eam incensissima pietate adament, fidenti eam animo invocent, validamque ejus tutelam frequenter implorent. Cotidie igitur, quod Ecclesia ipsa commendat [7], mariale rosarium recitare studeant ; qua quidem recitatione etiam Divini Redemptoris mysteria meditanda nobis proponuntur, nosque « *ad Jesum per Mariam* » ducimur.

Visitatio eucharistica

Præterea sacrorum administer, antequam cotidianos suos concludat labores, ad Eucharistica tabernacula adeat ibique aliquantisper saltem commoretur, ut Jesum in suo caritatis sacramento adoret, ut tot hominum ingratitudinem expiet, ut magis in dies divino amore ferveat, ut denique nocturnæ etiam requietis tempore, quod mortis silentium in mentem revocat, aliquo modo præsens in sacratissimo ejus Corde permaneat.

[4] S. Aug., *Enarr. in Ps. LXXXV*, n. 1 : *P. L.*, XXXVII, 1081.
[5] Cf. Litt. Enc. *Mediator Dei : A. A. S.*, XXXIX, 1947, p. 573.

[6] Cf. can. 125, 2°.
[7] Can. 125, 2.

Perscrutatio conscientiæ

Neque prætermittat suæ conscientiæ secreta cotidie perscrutari suique ipsius censuram gerere ; quod procul dubio tantum valet simul ad spiritualis vitæ rationem per elapsi diei spatium inquirendam, simul ad illa removenda obstacula, quæ virtutis incrementa vel retardent, vel præpediant, simul denique ad ea omnia alacrius persequenda, quæ sacerdotalia munera magis frugifera efficiant, et ad cælestis Patris, ob tot misere acta, misericordiam implorandam.

Frequens confessio

Quæ quidem misericordia et admissorum venia per Pænitentiæ Sacramentum nobis peculiari modo conceditur, quod præcipuum est divinæ bonitatis opus, quo infirmitas nostra roboratur. Numquam contingat, dilecti filii, ut salutaris hujus reconciliationis administer hoc Sacramento se abstineat. Hac de re, ut nostis, hoc Ecclesia edicit : « *Curent locorum Ordinarii, ut clerici omnes Pœnitentiæ Sacramento frequenter conscientiæ maculas eluant* » (can. 125, 1°). Quamvis enim Jesu Christi ministri, miseri tamen sumus ; quomodo igitur possumus Dei aram ascendere ac sacra pertractare, nisi sæpe nos expiare ac purificare studeamus ? Hac enim ratione « *recta sui ipsius cognitio augetur, christiana crescit humilitas, morum eradicatur pravitas, spirituali neglegentiæ torpori obsistitur, conscientia purificatur, roboratur voluntas, salutaris animorum moderatio procuratur, atque ipsius sacramenti vi augetur gratia* » [8].

In spiritualibus consilium

Quam ad rem opportunum etiam ducimus vos adhortari, dilecti filii ut in spiritualis vitæ itinere ingrediendo persequendoque ne nimis vobis confidatis, sed demisso docilique animo ab iis consilium suscipiatis petatisque auxilium, qui sapienti moderatione vos regere possint, qui adventantia pericula vobis prænuntiare queant, itemque consentanea vobis indicare remedia, et in difficultatibus omnibus ex internis externisve rebus oriundis, vos recta ratione ducere, vosque ad perfectionem illam, cotidie auctiorem dirigere, ad quam sanctorum Cælitum exempla probatique christianæ asceseos magistri vos alliciant et advocent. Etenim sine prudentibus hisce conscientiæ moderatoribus, plerumque difficillimum est supernis Sancti Spiritus impulsionibus divinæque gratiæ recto modo obsecundare.

Exercitia spiritualia

Cupimus demum Spiritualium omnibus commendare Exercitiorum usum. Cum enim nos per aliquot dierum spatium ex suetis rebus suetisque vivendi agendique rationibus segregamus, ac solitudinem silentiumque petimus, tum facilius profecto secundas damus aures divinis eloquiis, quæ altius in animos descendunt nostros ; dumque nos hæc Exercitia ad officia sanctius exsequenda revocant et ad suavissima Jesu Christi mysteria contemplanda, voluntatem nostram ita confirmant, ut *serviamus illi in sanctitate et justitia omnibus diebus nostris* (Luc., I, 74, 75).

II. — Sanctitas in sacro ministerio

In Calvariæ monte Divini Redemptoris fuit transverberatum latus, ex quo sacer ejus cruor defluxit, qui veluti amnis per sæculorum cursum exundans, animos hominum eluit, eorum peccata expiat, eisdemque salutis thesauros impertit.

I. — Sacerdos dispensator mysteriorum Dei

Ad hoc autem celsissimum obeundum ministerium sacerdotes destinantur. Ipsi enim non modo Jesu Christi vitam et gratiam mystici ejus Corporis membris conciliant, cum iisdemque communicant, sed etiam ad ejusdem mystici Corporis fovendum incrementum conferunt, cum novos continenter debeant Ecclesiæ filios donare, eosque educere, excolere, moderari. Cum *dispensatores mysteriorum Dei* (I Cor., IV, 1) sint, perfecta caritate debent Jesu Christo famulari suasque vires omnes in fratrum salutem impendere. Cum lucis apostoli sint, Evangelii doctrina collustrare mundum debent, christianaque fide ita ipsimet intus vigere, ut eam cum ceteris participare possint, ac Divini Magistri exemplis et præceptis insistentes, ad eum omnes reducere queant. Gratiæ ac veniæ apostoli sunt, atque adeo hominum procurandæ saluti se omnino devoveant, eosque ad Dei aram advocent, ubi cælestis vitæ pane enutriri possint. Caritatis apostoli sunt ; hujus igitur caritatis opera atque incepta urgeant, cum præsertim nostris hisce temporibus indigentium necessitates in immensum succreverint.

Juxta formas hodiernas apostolatus

Curet præterea sacerdos ut christifideles doctrinam de « *Sanctorum Communione* » recte intellegant, sentiant, experiantur ; impenseque eam per instituta illa provomeant, quæ ab « *Apostolatu liturgico* » et a « *precationis Apostolatu* » nuncupantur. Parique modo ceteræ omnes apostolatus formæ rationesque provehantur, quæ hodie, ob peculiares christiani populi necessitates, tanti momenti sunt tantæque gravitatis. In id nempe diligentissime contendatur, ut sacra catechesis omnibus impertiatur, ut « *Actio Catholica* » ac « *Missionalium Actio* » quam latissime propagentur et foveantur ; itemque ut ea omnia per laicos viros apte instructos ac conformatos cotidie majora incrementa capiant, quæ ad rem socialem recte ordinandam pertineant, quemadmodum nostra postulat ætas.

...cum Christo conjunctus

Animadvertat tamen sacerdos gravissimum sibi creditum ministerium eo fructuosius fore, quo arctius ipse cum Christo conjunctus, ejusque spiritu ductus operetur. Tum enim sacerdotalis ejus actio non in naturalem tantum operositatem desinet, quæ corpus animumque fatiget, et quæ sacrum administrum, haud mediocri cum sui ipsius Ecclesiæque detrimento, ex recto possit itinere abstrahere ; at ejus labor ejusque constantes nisus divinæ gratiæ ope corroborabuntur, quam quidem si Deus superbis denegat, iis tamen, qui demisso animo in « *vinea Domini* » operantes, non se suaque quærunt (Cf. I Cor., x, 33), sed Dei gloriam hominumque salutem, large libenterque concedit. Quamobrem Evangelii præceptis obsecutus, ne sibi, ut jam diximus, suisque viribus confidat, sed superno potius auxilio, secundum illud : *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat Deus* (I Cor., III, 7). Per apostolatum hac conformatum ratione id non evenire non potest, ut sacerdos nempe superna quadam vi omnium animos vehementer ad se alliciat. Cum enim in se in suosque mores vivam quasi referat Jesu Christi imaginem, omnes, qui eo magistro utantur, intima quadam suasione compulsi, facile agnoscent eum non sua, sed Dei verba loqui, itemque non sua, sed divina virtute operari : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei ; si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus* (I Petr., IV, 1). Quin immo, dum ipse ad sanctitatem nititur, suumque munus summa perfectione exercet, tam studiose debet Jesu Christi partes personamque agere, ut verecunde queat Apostoli gentium iterare sententiam : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I Cor., IV, 16).

Vitetur « actionis hæresis »

Hisce de causis, dum debitis eos honestamus laudibus, qui Dei amore proximorumque caritate ducti per hos annos, qui immane diuturnumque bellum subsecuti sunt, totis viribus in id incubuere ut, Episcopis præeuntibus ac ducibus, tot rerum animorumque miserias relevarent, abstinere non possumus quin sollicitudinem anxitudinemque Nostram iis significemus, qui ob peculiaria rerum temporumque adjuncta in externarum

[8] *Mystici Corporis Christi* : A. A. S., XXXV, 1943, p. 235.

actionum vorticem nimio sæpius ita se ingurgitarunt, ut primum neglegerent sacerdotum officium, hoc est officium suæ ipsius procurandæ sanctitatis. Publice jam ediximus [9] ad rectius iter eos esse revocandos, qui temere autument salutem hominibus afferri posse per eam, quæ « *actionis hæresis* » jure meritoque nominatur ; per actionem dicimus, quæ divinæ gratiæ ope non innitatur, neque ea constanter adhibeat necessaria assequendæ sanctitudinis adjumenta quæ a Jesu Christo fuere data. At pari modo opportunum duximus eos ad sacri ministrii opera impellere, qui animum ab externis rebus nimis abalienatum gerant, ac quasi superni auxilii potentia diffidentes, in id non satis contendant, pro facultate cujusque sua, ut christiani spiritus virtus in vitæ usum omnibus illis agendi rationibus inducatur, quas nostra tempora postulent [10].

Æmulator sanctorum

Vos igitur omnes enixe adhortamur ut arctissime cum Divino Redemptore conjuncti, cujus virtute omnia possumus (Cf. Philipp., IV, 13) impensa sollicitudine adlaboretis, ut eorum pro viribus æternam procuretis salutem, quos Providentissimus Deus apostolicis concredidit laboribus vestris. Quam vehementer cupimus, dilecti filii, ut sanctissimorum sitis illorum virorum æmulatores, qui elapsa ætate immensis exantlatis laboribus præclare testati sunt quid possit hoc in mundo operari divinæ gratiæ potentia. Utinam illam Apostoli gentium sententiam sibi unusquisque vestrum, christifidelibus testantibus, sincere demisseque tribuere possit : *Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris* (II Cor., XII, 15). Mentes superna luce collustrate ; conscientias recto itinere dirigite ; atque animos, vel dubitatione æstuantes, vel dolore excruciatos, confirmate ac reficite. Hisce autem præcipuis apostolatus operibus alia etiam adjicite, quorum necessitatem hodierna tempora clamant. Omnibus tamen manifestum pateat sacerdotem quavis sua agendi ratione nihil aliud quærere, nisi animorum bonum, ad nihil aliud spectare, nisi ad Christum, cui suas vires ac semetipsum consecrare debet.

II. — VIRTUTES SACERDOTI NECESSARIÆ IN MINISTERIO EXERCENDO

Quemadmodum vero, cum vos ad vestram adipiscendam sanctimoniam admonuimus, vos adhortati sumus ut vivam Christi imaginem in vestros mores referatis, ita in præsens ad sacerdotalis muneris vestri sanctitatem atque efficientiam procurandam provehendamque vos etiam atque etiam appellamus, ut Divini Redemptoris vestigiis continenter insistere studeatis ; qui quidem, Spiritu Sancto plenus, *pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo* (Acta Ap., X, 38). Eodem vos Spiritu roborati, ejusque fortitudine impulsi, tale vos procul dubio expleturi eritis ministerium, quod, christiana alitum atque inflammatum caritate, et superna virtute polleat, et ad eamdem virtutem cum ceteris communicandam contendat.

Caritas patiens, et benignitas

Apostolicum studium vestrum divino illo amore flagret, quo omnia æquo animo toleretis, quo rebus non debilitemini adversis, et quo omnes amplectamini homines, tenuiores, vel rerum amplitudine præstantes, amicos, vel inimicos ; fideles, vel infideles. Cotidianum ejusmodi laborem cotidianasque ægritudines a vobis poscit animorum salus, pro qua Servator noster dolores angoresque suos eo usque patientissime tulit, ut ad supremos cruciatus et ad mortem perveniret, quibus quidem nos voluit in divinam amicitiam restituere. Hoc unum, ut nostis, summum omnium bonorum est. Ne nimia igitur cupiditate exoptetis ut felix habeatur rerum successus ; parique modo, si impense licet adlaborando, optatos tamen non poteritis consequi fructus, ne concidatis animo ; etenim *alius est qui seminat, et alius est qui metit* (Jo., IV, 37).

Hoc præterea apostolicum studium vestrum summa benignitate niteat ; quandoquidem, si necessarium omnino est errores refellere ac vitiis repugnare — ad quod quidem faciendum officio tenemur omnes — semper tamen sacerdotis animus miseratione moveatur necesse est ; oportet siquidem omni nisu profligare errores, sed errantes fratres adamare eosque impensa caritate revocare ad salutem. Quot bene facta, quot miranda opera viri sanctitudine ornati patrare potuere ob suam etiam animi benignitatem ; idque in rerum quoque adjunctis hominumque classibus, ubi omnia fere fallaciis ac vitiis circumveniebantur ! At procul dubio ille suo officio deesset, qui ut hominibus gratificaretur, pravis blandiretur eorum voluntatibus, vel minus rectis eorum cogitandi agendique rationibus non sine christianæ doctrinæ morumque probitatis discrimine obsecundaret. Cum tamen Evangelii præcepta sarta tectaque servantur, cum qui misere lapsi sunt, sincero desiderio moventur ad frugem redeundi bonam, tum illius sententiæ reminiscatur sacerdos, quam Divinus Magister Apostolorum Principi tradidit, qui ab eo percontabatur quotiens fratribus venia concedenda foret : *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies* (Matth., XVIII, 22).

Temperata terrenarum rerum abstinentia

Vestra ejusmodi navitas non ad fluxa et caduca, sed ad æterna potissimum spectare debet. Præcipuum hoc esto sacrorum administrorum propositum, qui ad sanctitatem, ut debent, contendere velint : pro divina tantum gloria animorumque salute laborare. Quot sacerdotes, in gravibus nostrorum temporum rerumque angustiis Apostoli gentium exempla ac monita præ oculis habuere, qui quidem parvo contentus et quæ omnino necessaria essent solummodo quærens asseverabat : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus* (I Tim., VI, 8).

Ex hac temperata terrenarum rerum abstinentia, quæ cum Divinæ Providentiæ fiducia conjungitur, et quæ summæ laudis præconio digna Nobis videtur, sacerdotale ministerium uberes profecto in spiritualem et in socialem etiam Ecclesiæ utilitatem edidit fructus.

Congrua doctrina, et obœdientia

Hæc impensa denique operositas vestra sapientiæ ac disciplinæ luce collustretur, caritatis ardore foveatur. Qui reapse ad propriam proximorumque sanctimoniam nititur, solidam callere debet doctrinam, qua non modo ad theologica studia quod attinet, sed ad ea etiam omnia, quæ ex rebus pervestigandis excolendisque nostra peperit ætas, pertineat oportet ; atque hisce animi ornamentis præditus sacrorum administer, sicut optimus pater familias proferre *de thesauro suo nova et vetera* (Matth., XIII, 52) poterit, ita quidem ut ministerium suum et ab omnibus valde æstimetur, et frugiferum evadat. Imprimis autem ministerium hoc vestrum hujus Apostolicæ Sedis præscriptis ac datis ab Episcopis normis fideliter conformetur. Nunquam eveniat, dilecti filii, ut novæ illæ apostolatus formæ rationesque, quæ hodie tam opportunæ sunt, iis præsertim in regionibus, ubi clerus impar est numero, vel in inertia, jaceant, vel, cum non sint recto ordine instructæ, christiani populi necessitatibus non respondeant.

Operosum igitur ejusmodi studium vestrum cotidie magis augeatur, Ecclesiam Dei roboret, christifidelibus in exemplum præluceat, atque ingentia propugnacula excitet, ad quæ quidem Dei hostium incursus misere confringantur.

Cupimus etiam ut paterna hæc adhortatio Nostra peculiari modo sacerdotes illos attingat, qui demisso quidem animo, sed incensa caritate, in ceterorum sacer-

[9] Cf. *A. A. S.*, XXXVI, 1944, p. 239 ; Epist. *Cum proxime exeat*.
[10] Cf. *Orat.*, 12 septembre 1947.

dotum sanctitudinem procurandam augendamque sollerter incumbant, sive eorum consiliarios agant, sive eorum conscientiæ moderatores vel Pænitentiæ Sacramenti administros. Quod hi in Ecclesiæ inæstimabile bonum conferunt, plerumque, dum vivunt, silentio obtegitur ; at in divini Regni gloria aliquando luculentissime manifestabitur.

Exemplum S. Josephi Cafasso

Nos quidem, qui non multos ante annos magno cum animi solacio summos decrevimus Sanctorum Cælitum honores Taurinensi sacerdoti Josepho Cafasso — qui, ut nostis, temporibus difficillimis, sacrorum administris non paucis tam sapienter, tam sancte moderatus est, ut eorum non modo virtutem proveheret, sed eorum etiam sacerdotale munus salutiferum admodum redderet — fore omnino confidimus, ut ob ejus etiam patrocinium validissimum Divinus Redemptor noster multos concedat paris sanctitatis sacerdotes, qui semet ipsos suosque in sacro ministerio collegas ad tam excelsam vitæ perfectionem dirigant, ut christifideles omnes præclara eorum intuentes exempla, ad ea ultro libenterque sequenda permoveantur.

III. — **Normæ ac hodiernæ vitæ usum**

Hucusque præcipuas veritates ac præcipua scribendo proposuimus præcepta, quibus Catholicæ Ecclesiæ sacerdotium ejusque explenda munera innituntur. Hisce profecto veritatibus ac normis qui sacerdotes sunt sanctitate exornati, ii procul dubio per cotidianam cujusque suam agendi rationem, diligenter obsequuntur ; dum contra, proh dolor ! desertores ac transfugæ a susceptis per sacram ordinationem officiis misere recesserunt.

In præsens vero, ut paterna hæc adhortatio Nostra efficacior evadat, opportunum ducimus nonnulla, quæ ad hodiernæ vitæ usum peculiari modo pertineant, satius enucleare. Idque eo vel magis quod nostra hac ætate novæ interdum rerum condiciones habentur novæque disceptationis causæ, quæ diligentiores a Nobis requirunt anidmadversiones diligentioresque curas. Cupimus igitur clerum universum, imprimisque sacrorum Antistites paterno adhortari animo ut ad ea omnia provehenda, quæ nostris hisce temporibus necessaria videantur, toto pectore incumbant : quæ autem recto itinere devia vel prorsus depravata habeantur, ea ad veritatem, ad probitatem, ad virtutem reducant.

I. — Recta selectio cleri

Ut probe nostis, post diuturnas ac varias recentis belli vicissitudines, sacerdotum numerus cum in catholicorum regionibus, tum in missionalium terris, impar plerumque increscentibus necessitatibus est. Quamobrem sacerdotes universos adhortamur, sive qui in sæculo vivunt, sive qui in religiosos Ordines vel in religiosas Congregationes adsciti sunt, ut conjunctis voluntatibus conjunctisque fraterno animo viribus ad communem metam alacriter procedant, hoc est ad Ecclesiæ bonum et ad suam proximorumque assequendam sanctitatem. Omnes utique, ii etiam qui umbratilem in recessu et in silentio vitam traducunt, ad sacerdotalis ministerii efficacitatem, precando seseque devovendo, conferre queunt; qui tamen actione etiam possunt, id libenter, id alacriter faciant.

At alios quoque necessarium est, divina adspirante gratia, advocare collegas ac laboris socios. Hac de re Nos sacrorum præsertim Antistites paterno admonemus animo, itemque ceteros omnes, qui christiani gregis quovis modo curam gerunt, ut gravissimam hujusmodi causam agant ac provehant, cui quidem futurus Ecclesiæ status conjungitur quam maxime. Societati a Christo conditæ procul dubio necessarii sacerdotes numquam deerunt ; vigilemus tamen oportet ac laboremus omnes, illius sententiæ memores : *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (Luc., x, 2) ac omni nisu contendamus ut quam plurimi habeantur et quam sanctissimi Dei administri.

Divinus ipse Redemptor nobis indicat quo aptiore modo frequentes suscitari queant sacerdotii candidati : *Rogate... Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Humilibus nempe ac fidentibus ad Deum admotis precibus id impetrare debemus.

At necesse quoque est ad invisibilem superni Flaminis impulsionem actionemque eorum præparentur animi, qui ad ingrediendum sacerdotium divinitus vocentur ; ad quod quidem efficiendum cum christiani parentes, sacri pastores, Pænitentiæ Sacramenti administri ac Seminariorum moderatores multum profecto conferre possunt, tum universi etiam sacerdotes ac christifideles, quibus Ecclesiæ incrementa provehere ejusque occurrere necessitatibus cordi sit. Dei administri non modo sacris concionibus ac catecheseos institutionibus ad populum habitis, sed privatis etiam opportune intersetis sermonibus, sedulo curent ut illæ refellantur præjudicatæ ac fallaces opiniones, quæ hodie adversus sacerdotium tam late proferuntur ; atque etiam ejus excelsam dignitatem, pulchritudinem, utilitatem et eximia promerita in sua luce ponant. Patres vero matresque familias cujusvis ordinis impensas ad Cælum admoveant preces, ut digni habeantur qui unum saltem e prole sua divino servitio mancipare queant. Omnes denique, qui christiano censentur nomine, officio sibi ducant eos fovere omnique ope juvare, qui se ad sacra vocatos sentiant.

Sacerdotii candidatorum instituere ac fovere dilectum quod Codex Juris canonicis (Cf. can. 1353) animorum pastoribus concredit eisdemque valde commendat, omnibus etiam sacrorum administris peculiari curæ esse debet ; qui quidem, non modo æterno Numini demisse generoseque grates agant ob inæstimabile acceptum beneficium, sed nihil antiquius, nihil optatius habeant, quam sibi aliquem deligere omnique ope juvare successorem, quem illis perspexerint dotibus ornatum ad tantum opus necessariis. Utque id efficacius assequi possint, adulescentibus præsertim, quibus familiariter utantur, et in quibus divinæ vocationis indicia animadverterint, optima exempla præbeant, quæ imitentur.

Prudens ac sapiens hujusmodi candidatorum dilectus semper et ubique instituatur ; non igitur inter juvenes habeatur solummodo, qui jam in Seminario vitam agant, sed inter eos etiam qui in quibusvis litterarum ludis ac scholis disciplinarum studiiis dent operam, atque inter eos potissimum, qui in variis apostolatus formis atque inceptis adjutricem suam navitatem præstent. Hi siquidem, etsi sero sacerdotium ingrediuntur, cum tamen jam graves eluctati fuerint difficultates, et in agitatione vitæ animum firmaverint suum, cumque jam in operibus elaboraverint, quæ cum sacerdotali munera arcte conjunguntur, majoribus non raro enitent solidioribusque virtutibus.

Semper tamen necessarium est in singulos sacerdotii candidatos diligentissime introspicere, ac præsertim exquirere qua mente quibus de causis ejusmodi inierint consilium. Ac peculiari modo, cum de pueris agitur, attente considerare oportet utrum necessariis animi corporisque dotibus iidem præditi sint, et utrum ad sacra suscipienda munera adspirent ob eorum tantum nobilitatem ac spiritualem suam ceterorumque utilitatem.

Vos profecto, Venerabiles Fratres, probe nostis quæ sint mentis animique ornamenta, quibus, ad ejusmodi causam quod attinet, Ecclesia postulat ut sacrorum alumni præstent ; supervacaneum igitur esse ducimus hisce exponendis rebus rationibusque immorari. Opportunum potius putamus vos adhortari, ut ea, qua enitetis, prudentia sedulo exquiratis, utrum, qui sacros suscipere ordines velint, physice etiam idonei sint ; idque ea vel magis quod recens bellum succrescentem præsertim subolem funeste non raro affecit pluribusque modis perturbavit. Hi igitur candidati accurate hac de causa inspiciantur, adhibito etiam, si oportet, probati medici judicio.

Hoc sapienti prudentique dilectu fore confidimus, ut ubique conferta habeantur lectissimaque sacrorum alumnorum agmina.

II. — Cura vocationum

Quodsi plures sacri Pastores in gravi sunt sollicitudine, quod rariores cotidie adulescentes exsistant, qui sacerdotalia munera affectent, non minore tamen iidem sollicitudine afficiuntur de juvenum institutione, qui in sacra jam fuerint Seminaria assumpti. Non nescimus profecto, Venerabiles Fratres, quam arduum id opus sit, quotque quantisque implicetur ad perficiendum difficultatibus ; sed ex necessario hoc adhibito officio maximum reportabitis solacium, quandoquidem, ut Decessor Noster Leo XIII monet, « *ex industria diligentiaque in instituendis sacerdotibus posita, fructus percipietis summopere optabiles, munusque vestrum episcopale multo sentietis esse ad gerendum facilius, ad utilitatem uberius* » [1].

Quamobrem a Nobis opportune factum censemus, si documenta vobis statuerimus, quæ necessitate imperantur, hodie majore quam cum maxima, sanctos educandi sacerdotes.

Institutio intellectualis

Animadvertendum primo loco est Seminariorum alumnos, qui primis disciplinis instituantur, nonnisi adulescentulos esse a nativo suæ domus humo speratos. Res igitur ipsa postulat ut, quam pueri in Seminariis vitam ducant, cum communi omnium puerorum vita, quantum potest, congruat ; magni tamen hinc eorum religiosa conformatione existimata, hinc naturalibus eorum facultatibus spectatis ingeniique propensionibus : quæ omnia in spatiosis et capacibus locis excurrant oportet ad salubritatem et ad tranquillitatem idoneis. Attamen hac etiam in re *æque mensura ac temperatio* serventur ; ita quidem ut nunquam eveniat ut *in sumptuosis domibus et in exquisitis suavitatibus et commodis* [2] ii vitam agant, qui ad sui abnegationem atque ad evangelicam virtutem conformari debeant.

In universum elaborandum præcipue est, ut singulorum puerorum indoles cujusque propria recte conformetur ; in iisque magis magisque se explicet conscientia quid ex actibus suis in se recidat periculi, quid ipsi de hominibus ac de eventibus judicii ferant, quid denique ipsi operis ultro sponteque suscipiant. Quam ob causam ii qui sacris Seminariis præsunt modum prudenter animadversionibus imponent, ac crescentibus juvenum annis ab strictiore eorum custodia vel cujusvis generis refrenationibus sensim temperent ; id prorsus consecuturi ut sibimet ipsis adulescentes moderentur, seseque suorum esse operum auctores sentiant. In quibusdam præterea rebus non modo licitam largiantur alumnis agendi libertatem, sed eos etiam ad secum cogitandum in animo insuescant, ut veritates, quæ vel doctrinas vel quæ usum spectent, faciliore negotio combibant. Neque extimescant moderatores ne concrediti sibi juvenes hodiernos cognoscant eventus ; quin etiam præter quam quod illis rerum notitias aperient ex quibus maturum de factis judicium iidem sibi faciant, controversias etiam de quæstionibus id genus ne declinent, ut juvenum mentes ad æquam rerum rationumque æstimationem informent.

Quæ si normæ servatæ religiose fuerint, cum alumni, ad probitatem sinceritatemque instituti atque eruditi, suam non minus ac ceterorum vitæ integritatem animique firmitatem summo in pretio habeant, a fallacia et a cujusvis generis simulatione abhorrebunt. Ab ejusmodi integritate ac sinceritate facile proficiscetur, ut a moderatoribus efficientius iidem adjuvari possint, cum dignoscendum sit utrum divinitus ad sacra capessenda munia vocentur.

Ubi vero juvenes — qui præsertim a teneris in sacra Seminaria fuerint recepti — in locis educentur ab hominum societate paulo nimium sejunctis, ii profecto, cum in publicum prodibunt, haud ex facili sive cum minuta plebe sive cum litteratis hominibus commercium habebunt, fietque eis plurimum, ut aut inconsiderate cum christiano populo se gerant, aut, quam acceperint institutionem, secus existiment. Opera idcirco danda est, ut alumni sensim prudenterque in intima populi consilia ac studia penetrent, ne, sacerdotio aliquando initiati sacrisque addicti muneribus, suæ incerti sint actionis ; quod non tantum ipsorum perturbaret animos, sed eorum etiam sacerdotales labores minueret.

Institutio litteralis et scientifica

Ad hæc qui sacris Seminariis præpositi sunt plurimas oportet curas locent in mente alumnorum excolenda.

Perspecta sane habetis, Venerabiles Fratres, normas atque præscripta, quæ hac de re Apostolica hæc Sedes identidem tulit, et quæ Nosmet ipsi omnibus commendavimus, cum primum, sub Pontificatus Nostri initio, Seminariorum atque Collegiorum Romanorum alumnos coram admisimus [3].

Qua de re cupimus cumprimis ne litterarum doctrinarumque studiis ii qui futuri sint sacerdotes iis nihil saltem cedant qui e laicis juvenibus paris sint disciplinæ auditores. Hoc namque si cautum fuerit, et ut discipulorum mentes severius expoliantur, et ut facilius eorum habeatur suo cujusque tempore dilectus cautum sane fuerit. Re enim vera si id contigerit, cum sacrorum alumnus de suæ vitæ futura condicione deliberaturus erit, nulla prorsus necessitate astringetur ; aberitque plane a periculo ne, quod ea non ornetur eruditione atque doctrina, quæ civilia sibi munera obicere possit, viam insistere sibi non paratam cogatur, secundum illam villici infidelis sententiam : *Fodere non valeo, mendicare erubesco* (Luc., XVI, 3). Quodsi quis alumnorum, utilem licet Ecclesiæ operam ostendens, e Seminario nihilo minus cederet, hoc non esset omnino dolendum ; quandoquidem is, rectam viam ingressus, beneficiorum in Seminario acceptorum non recordari non posset, nec ad laicorum hominum catholicam alacritatem multum suæ alacritatis non adicere.

Philosophia et Theologia
« *ad Angelici Doctoris rationem* »

In sacrorum institutione alumnorum, quamvis multarum cognitio disciplinarum perquiratur, in quibus hodie rerum socialium investigatio magni quidem est momenti, maxima tamen vis doctrinis philosophicis ac theologicis « *ad Angelici Doctoris rationem* » (can. 1366, 2) tribuenda est, cum his necessitatum atque errorum, quæ nostra invexerit ætas, notitia conjuncta. Hujusmodi enim doctrinæ cum sacerdotibus ipsis, tum christiano populo maximi sunt ponderis et utilitatis : pietatis magistris asseverantibus eas, modo fuerint idonea ratione traditæ, ad servandum alendumque fidei studium, ad cupiditates debilitandas, ad animum cum Summo Dei Numine conjungendum maxime valere.

Accedit quod sacerdos, qui veluti *sal terræ* et *lux mundi* (Matth., v, 13, 14) est putandus, opus est, ut in fidei tuitione conatu maximo elaboret, Christi Evangelium promulgans, atque oppositos errores coarguens, qui omnibus viis hoc tempore seruntur in vulgus. Atqui erroribus valenter refragari nequibit, nisi quod firmissima philosophiæ ac theologiæ catholicæ elementa penitus didicerit.

A qua causa alienum non est animadvertere docendi rationem, quæ in catholicis scholis jamdium invaluit, plurimum habere efficacitatis simul ad perspicue rerum notiones mente concipiendas, simul ad hoc confirmandum : veritates nempe, quæ ut sacrum depositum fuere Ecclesiæ, christianorum magistræ, concreditæ inter se perfecte congruere ac cohærere. Non desunt vero hac nostra ætate qui, cum de recentioribus Ecclesiæ documentis deflexerint, cumque minus notionum definitæ

[1] Enc. *Quod multum*, ad Episcopos Hungariæ, 22 août 1886 : *Acta Leonis XIII*, vol. VI, p. 158.

[2] Cf. Allocut. 25 novembre 1948 : *A. A. S.*, XL, 1948, p. 552.

[3] Cf. Orationem diei 24 Junii 1939 habitam : *A. A. S.*, XXXI, 1939, pp. 245-251.

perspicuitati studeant, præterquam recta discesserint nostrarum scholarum via, erratis etiam ambiguisque opinionibus, ut est experiendo cognitum, introitum patefaciant.

Quare ne sacrorum administrorum studia fluctuationibus, vel dubitationibus miserum in modum hæreant, maximopere vos, Venerabiles Fratres, hortamur omnes sedulo evigelitis, ut quas Apostolica hæc Sedes de hujusmodi studiis colendis certas constituit normas, eæ integra fide accipiantur atque serventur.

Institutio spiritualis et moralis

Si tam impense, pro Apostolico quo fungimur officio, de clericorum intellegentia præclare excolenda adhuc admonuimus, haud difficile tamen cognitu est cur nihil sit Nobis potius quam ut eorumdem juvenum animi moresque probe conformentur ; quoniam si secus acciderit, vel exquisitissima doctrina, ob superbiam atque arrogantiam, quæ facile descenderit in animos, maximas edere poterit ruinas. Quapropter Ecclesia Mater vult præsertim in sacris Seminariis adulescentes illius sanctimoniæ initia inchoent, quam deinceps in omni vita præstent atque confirment.

Quemadmodum de sacerdotibus jam scripsimus, haud secus nunc instamus ut sacri ordinis alumnis persuasissimum sit debere se ad animi potiunda ornamenta, quæ virtutes sunt, omni nisu contendere, eademque postquam assecuti fuerint, fortiter servare studioseque augere.

Cum cotidie, iisdem fere semper horis, eadem pietatis officia adulescentes exsequantur, timeri potest ne cum extrinseca religionis exercitatione intimus animi sensus non consonet ; quod ferme ex consuetudine facilius fieri apud eos poterit vel etiam ingravescere, cum sacra iidem domicilia egressi, in necessariam suorum munerum perfunctionem sæpenumero rapientur.

Omnis itaque opera atque industria impendatur, ut qui in cleri spem educantur, vitam pie sibi intentam vivant, quæ superno spiritu alatur quæque superno spiritu gubernante moveatur. Omnia iidem operentur divina fide collustrati atque cum Christo Jesu conjuncti ; pro certo habentes ab sancto hoc vivendi genere abesse eos non posse, qui sint olim sacerdotio initiandi, Divinique ipsius Magistri personam in Ecclesia gesturi. Nihil enimvero magis sacrorum alumnos impellit ad virtutes sacerdote dignas consequendas, ad perrumpendas difficultates, ad salutaria consilia explenda, quam intimus hic pietatis sensus.

Qui clericorum moribus effingendis dant operam id summe spectent opus est, ut iidem virtutes eas complectantur, quas Ecclesia a sacerdotibus poscit. De quibus cum alio hujus Exhortationis loco dixerimus, non est profecto cur eadem hic iteremus. Attamen facere non possumus quin ex omnibus virtutibus, quibus sacrorum alumni exornandi sunt, ad eas singulariter illos hic incitemus, quibus, veluti fundamentis, tota sacerdotum sanctitas nititur.

Necessitas obœdientiæ

Pernecesse est juvenes ita obedientiæ studium assequantur, ut suam voluntatem assuescant Dei voluntati candide subjicere, cujus sunt Seminarii moderatores veluti interpretes habendi. Ac nihil umquam sit in eorum agendi ratione, quod a divina sit voluntate alienum. Hujus, de qua loquimur, obedientiæ juvenes a Divino Redemptore exemplum expetant, cui hisce in terris illud unum erat propositum : *Ut faciam, Deus, voluntatem tuam* (Hebr., x, 7).

Qui adulescentes in Seminariis versantur jam a primis annis discant ex animo rectoribus suis filiorum more obsequi ; ut aliquando Episcoporum suorum voluntati mansuete inserviant ; sicut in præceptis est invictissimi Christi athletæ Ignatii Antiochensis : « *Omnes Episcopo obtemperate, ut Jesus Christus Patri* » [4]. « *Qui honorat Episcopum a Deo honoratus est ; qui clam Episcopo aliquid agit, diabolo servit* » [5]. « *Sine Episcopo nihil facite, carnem vestram ut templum Dei custodite, unionem amate, dissidia fugite, imitatores estote Jesu Christi, sicut et ipse Patris sui* » [6].

Castitas excolenda

Vigil quoque diligensque cura adhibenda est, ut sacræ militiæ tirones magni ducant, ament atque in animo suo pudicitiam tutentur, quippe in qua sit magnam partem positum quod ejusmodi vitæ genus iidem sibi constituant, in eoque permaneant. Quæ propterea, cum in humana consortione in tanta incurrat pericula, est quod, qui sacerdotalem dignitatem suscepturi sint, in illorum animis jamdiu firmiterque inhæserit. Non modo igitur certiores clerici opportune fiant quid sint sacerdotum cælibatus ab iisdemque servanda castitas (cf. can. 132), quidve ea officii exigant, sed de periculis etiam moneantur, quæ hanc ob rem afferri ipsis possint. Cohortandi item sunt sacrorum alumni, ut jam a prima ætatula ab periculis præcaveant, ad eas confugiendo cupiditatum comprimendarum rationes, quas cælestium rerum magistri suadeant ; quoniam quo erit cupiditatum firmior ac constantior moderatio, eo magis in ceteris virtutibus proficiet animus, uberioresque erunt sacerdotalis sollertiæ fructus. Quodsi quis clericorum hac in re ad malum se præstiterit proclivem neque, experimento per æquum temporis spatium capto, ab improba propensione se removerit, is erit utique e Seminario exigendus, antequam sacris ordinibus initietur.

Hæc, de quibus diximus, ac cetera animi ornamenta, sacerdotibus digna, juvenes in Seminariis degentes facile sibi comparaverint, si a pueris sinceram ac teneram pietatem suxerint erga Christum Jesum « *vere, realiter, et substantialiter* » sub Sacramenti augustissimi specie præsentem interque nos hisce in terris commorantem ; si simul æque a Christo incitata fuerint atque in Christum spectaverint vel consilia vel labores quæ alumni susceperint. Lætitia vero summa perfundetur sane Ecclesia, si ad pietatem erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum adulescentuli singularem pietatem adjunxerit in Beatissimam Virginem Mariam ; pietatem inquimus, cujus impulsu animus se totum Divinæ Matri committat, ad ejusque sequenda exempla virtutum moveatur ; quandoquidem numquam præclara sollersque actio in sacerdote desiderabitur, cujus adulescentiam præcipuus enutriverit in Jesum et in Mariam amor.

III. — Cura novellorum sacerdotum

Facere hoc loco, Venerabiles Fratres, non possumus quin etiam vobis hortatores simus, ut novellorum sacerdotum commendatam singulariter vobis curam habeatis.

Eo tempore quo e Seminarii claustris sacra obituri munera egrediuntur, sacerdotibus, idcirco quod in apertum prosiliunt apostolatus campum, periculum occurere potest, nisi jam ad novam hujusmodi vitæ rationem prudenter ii fuerint instructi. Quam ad rem opportune consideraveritis spes bonas de recentibus sacerdotibus captas sæpe posse ad irritum cadere, nisi quis ad labores pedetemptim eos admoverit, nisive ipsis ad labores accedentibus sapienter quis advigilaverit paternoque more moderatus fuerit.

Collegia specialia

Quapropter probatur valde Nobis novellos hosce sacerdotes, ubicumque potest, per aliquot annos in certa collegia recipi, quibus locis, viris gubernantibus multarum rerum peritis, altius ad pietatem ad sacrasque disciplinas excolantur, ac pro suo cujusque ingenio ad sacerdotalia munera erudiantur. Has ob causas in votis Nobis est ejusdemmodi collegia vel singula in singulis diœcesibus vel, si res id postulaverit, singula ad plures diœceses constitui.

[4] *Ad Smyrnaeos*, VIII, 1 ; *P. G.*, VIII, 714.

[5] *Ibid.*, IX, 1, 714, 715.

[6] *Ad Philadelphienses* VII, 2 ; *P. G.*, V, 700.

Quod ad Nostram hanc Urbem attinet, idem jam Nos, quinquagesimo expleto Nostri sacerdotii anno, perlibentes fecimus, cum Domum, cui a S. Eugenio nomen est inditum, recentibus a sacerdotio juvenibus excitari jussimus [7].

Vos adhortamur, Venerabiles Fratres, ut, quantum fieri potest, inexpertos adhuc sacerdotes in medias ne ingeratis operas, neve eos assignetis locis, vel ab urbe Diœcesis principe vel a celebrioribus ejus oppidis remotis. In hujusmodi enim vitæ statu si versarentur, segreges, imperiti, periculis oppositi, a magistris prudentibus inopes, incommoda procul dubio ipsi capere eorumque alacritas possent.

Probatur quoque admodum Nobis, Venerabiles Fratres, hos novellos sacerdotes una cum loci curione maximo ejusque administris vivere ; propterea quod facilius ita, senioribus præeuntibus, ad sacra munera iidem poterunt informari, atque pietatis studio ardentius imbui. Animorum Pastores omnes ea de causa commonefacimus in suis, magna ex parte, positum esse manibus futurum horum juvenum sacerdotum successum. Ardor namque et vis, quibus hi in sacerdotio tirones ad primas se conferunt operas, aut restingui aut certe imminui quandoque poterunt seniorum exemplo, talium videlicet qui sive virtutum ornamentis non niteant, sive, illata causa ne veteres, quibus assueti sunt, consuetudines immutentur, otiosum præoptent vitæ institutum.

Vita communis

Quod in votum jam venerat Ecclesiæ (can. 134) id Nos et nunc comprobamus et commendamus vehementer, iniri scilicet vel ab unius curiæ vel a plurium vicinarum curiarum clero communis vitæ consuetudinem.

E qua communis vitæ consuetudine etsi quædam incommoditates oriri possunt, nemini tamen dubium est maximas proficisci utilitates : primum caritatis atque alacritatis studium magis magisque cotidie apud sacerdotes incendi ; deinde christiano populo documentum supponi quomodo iidem sint a suis ipsorum rationibus a suisque propinquis voluntate sejuncti ; tum palam fieri omnibus quam religiosa cura sacerdotes castimoniæ suæ consulant.

Ceterum opus est etiam studiis sacrorum administros dare operam, uti Codice Juris Canonici continetur : « *Clerici studia, præsertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant* » (can. 129). Quo Codice præter quam quod periculum a sacerdotibus novellis præcipitur « *singulis annis saltem per integrum triennium* » faciendum (can. 130, 1°), conventus quoque sæpius in anno ab iisdem habendi præscribuntur « *ad scientiam et pietatem... promovendam* » (can. 131, 1°).

Studia incitanda

Sed ad studia incitanda, quæ sæpenumero sacerdotes præ domesticæ exiguitate rei celebrare nequeunt, summopere expedit locorum Ordinarios, ex vetere præclaroque Ecclesiæ instituto, bibliothecas vel ad ædem Diœcesis principem, vel ad canonicorum collegia, vel ad curias ipsas quondam ordinatas, in pristinam revocare dignitatem.

Quæ quidem bibliothecæ, quamvis plerumque expilatæ eversæque fuerint, non rato tamen acceptis quasi permagna hereditate cum membranis tum libris aut scriptis aut typis excusis adhuc ornantur atque ditantur : « *quæ præclaro sane testimonio hinc sunt quantos Ecclesia exantlaverit labores quantaque auctoritate floruerit, hinc qua divina fide pietateque majores nostri arderent, studia exercerent, politam elegantiam adamarent* » [8]. Ne neglectorum receptaculorum loco hæ bibliothecæ existimentur, sed veluti viventis potius structuræ, in qua idoneum conclave libris pervolutandis paretur. At cumprimis bibliothecæ ad nostrorum temporum usus ordinentur, atque scriptis omne genus instruantur, præcipua religiosarum et sociabilium rerum ratione habita ; ut nimirum præceptores, ut curiones, ut novissimi præsertim e sacerdotibus, satis inde doctrinarum ad veritates evangelicas promulgandas ad erroresque redarguendos haurire possint.

IV. — Difficultates præcavendæ

Nostrarum denique partium esse ducimus, Venerabiles Fratres, de difficultatibus vos commonere, quæ ad nostra hæc tempora proxime pertinent. Exploratum certumque esse vobis arbitramur serpere latius et gravius in dies novarum rerum studium inter sacerdotes, ut plurimum sive eruditione atque doctrina sive vitæ severitate minus quam ceteri præditos.

Pericula nostræ ætatis

Per se novitas neutiquam est veritatis indicium, atque una ea est condicione laudanda, ut simul veritatem confirmet, simul probitati ac virtuti conducat.

Hac, quæ volvitur, ætate graviter quidem itinere deerratum est : est siquidem dolendum plura philosophorum genera internasci, eademque, hominum moribus nullo modo emendatis, dilabi ; insignia ad deformitatem artis opera cerni, quæ christianum nihilo secius nomen mentiuntur ; administrandæ rei publicæ rationem magis ad singulorum civium quam ad communem omnium prosperitatem haud paucis in locis spectare ; vitæ instituta de œconomicis ac sociabilibus rebus plus periculi honestis quam versutis hominibus moliri. Ex quo proclive consequitur sacerdotes nostris hisce diebus omnino non deesse, in quos ejusmodi contagio aliquo modo influat ; qui non numquam opiniones imbibant vitæque genus, etiam in ipso vestis ornatu cultuque corporis, instituant, æque a sua dignitate æque a suis muneribus aliena ; qui novitatis cupiditate ducantur, cum in concionibus ad christianum populum habendis, tum in adversariorum erroribus coarguendis : qui denique, cum hæc fecerint, non solum animi sui fidem infirment, sed, sua etiam attrita fama, efficacitatem sacri officii extenuent.

Quibus super rebus diligentiam summopere excitamus vestram, Venerabiles Fratres, nihil sane dubitantes inter immodicam, quæ apud non paucos invaluit, vel acti temporis vel futuri cupiditatem, eam vos esse prudentiam adhibituros, quæ tum etiam sapiens ac vigilans sit oportet, cum in novis periclitabitur viis, quid alacritatis quidve contentionis suscipiendum sit quærens, ut una veritas tandem victrix emergat. Longe plane absumus, ut profiteamur apostolicos labores non debere cum ipsa, quæ nunc agitur, vita congruere, neque eas, quæ nunc instituuntur, operas non debere hujus ætatis necessitatibus inservire. Sed cum sacerdotalem quamvis in Ecclesia sumptam operositatem per legitimæ dignitatis gradus necesse sit digeri, nova hac de re incepta non nisi Episcopo sinente ineantur. Sacri autem Pastores ex eadem regione vel Natione hisce super causis identidem opportuna consilia inter se conferant, ea quidem mente ut propriis locorum utilitatibus prospiciant, ac rationibus caveant ad religiosam actionem magis accommodatis atque idoneis. Quæ si omnia ad mandatum ordinem relata fuerint, sacerdotum officia non poterit quidem efficacitas non consequi. Hæc sibi persuadeant omnes : Æterni Numinis potius quam hominum voluntati esse obsequendum, atque apostolicam assiduitatem non pro suis cujusque opinationibus, sed pro sacræ potestatis aut legibus aut normis esse præbendam. Spe enim usquequaque destituitur qui in opinione est posse se insolitis atque absurdis agendi rationibus et animi sui egestatem obtegere et Christi prolatando regno efficientem dare operam.

Clerus et quæstio socialis

Porro non dissimilem recto huic, de quo diximus, agendi modo sacerdotibus ineundum esse putamus, cum de doctrinis socialibus, perinde ut hodie explicantur, causa versatur.

[7] Cf. *A. A. S.*, XLI, 1949, pp. 165-167.

[8] Cf. Epistulam Card. Petri Gasparri, ad Italiæ Episcopos, 15 avril 1923 : in *Enchiridion Clericorum*, Typ. Pol. Vat., 1937, p. 613.

Sunt quidem hoc tempore qui ad communistarum, quos vocant, machinationes id videlicet cumprimis spectantium, ut quibus temporalem iidem polliciti fuerint felicitatem, ex eorum animis fidem extrahant, non modo expavescant, sed æstuante etiam sint animo. Verumtamen Apostolica hæc Sedes, documentis recens hac super re datis, luculentem stravit viam, cui se committant omnes, e qua, salva officii conscientia, excedat nemo.

Ex alia vero parte non desunt qui se pavidos atque incertos ostendant, ad œconomicam illam rationem quod attinet, quæ a nimio privatarum divitiarum congestu nomen invenit ; ex quo gravia consequi nocumenta Ecclesia non semel declaravit. Ecclesia siquidem non tantum ingentium opum ac vel ipsius possidendi juris abusus indicavit, quos eadem œconomica ratio parit ac defendit, sed etiam edocuit divitiæ ac possessiones ad res labore procreandas conferant oportere, cum universæ hominum societatis emolumento, itemque cum humanæ libertatis dignitatisque tuitione atque incremento. Quæ ex utraque œconomica ratione oriuntur damna omnibus peculiarique modo sacerdotibus persuadeant, ut de re sociali doctrinam, quam Ecclesia tradit, fideli animo amplectantur, eamdemque ceteris impertiant ac pro viribus in usum deducant. Hæc enim doctrina una potest tam late invalescentibus malis mederi ; quandoquidem omnia justitiæ unaque simul caritatis officia summa perfectione componit ; ac talem excitari jubet societatis ordinem, qui singulos cives non opprimat, neque ob nimium utilitatis cujusque suæ studium invicem eos distineat, sed omnes potius quodam mutuarum rationum concentu fraternæque necessitudinis vinculis devinciat.

Sacerdotes, Divini Magistri vestigiis insistentes, egentium atque opificum necessitatibus pro facultate occurrant, iisque omnibus, qui in rerum angustiis versentur ; in quibus quidem non pauci, ut omnes norunt, e media etiam societatis classe atque ex ipso sacerdotum ordine censendi sunt. Nihilominus eos ne neglegant, qui, cum satis fortunæ habeant, animi tamen egestate laborant ; atque adeo ad vitam penitus instaurandam vocandi sunt, Zachæi exemplo in memoriam redacto, qui dixit : *Dimidium bonorum meorum... do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum* (Luc., XIX, 8). Cum de re sociali causa vertitur, sacrorum administri numquam obliviscantur quo suum debeat spectare munus : alacres nempe ac nihil hæsitantes recta ea proponant doctrinæ principia, quæ, in variis societatis classibus, ad jus dominii, ad divitias, ad justitiam caritatemque pertineant ; eademque principia quo aptiore modo efficienda sint suo exemplo doceant.

Hæc tamen doctrinæ præcepta laici homines ad effectum deducenda curent. Quodsi ad rem pares non sint, eos sacrorum administer quam aptissime instruat atque conformet.

Sollicitudo S. Pontificis pro clero indigenti

Heic opportunum esse ducimus causam attingere de domesticarum rerum angustiis, quibus plurimi sacerdotes post recens bellum afflictantur ; in iis præsertim regionibus, quæ vel ejusdem belli causa, vel ob politicarum rerum statum maxima acceperunt detrimenta. Harum rerum condicionibus cum acerrime Nos angamur, nihil reliqui facimus, quod pro facultate Nostra possit calamitates, ærumnas summamque multorum indigentiam relevare.

Probe nostis, Venerabiles Fratres, Nos — quibus in locis majores viderentur esse necessitates — per Sacrum Consilium cleri disciplinæ præpositum, extraordinarias Antistitibus fecisse facultates ac peculiares edidisse normas, quibus graviores œconomicarum rerum disparilitates æquo modo componerentur, quæ ad sacerdotes pertinerent Diœcesis cujusque suæ. Atque exploratum Nobis est alicubi sacrorum administros non paucos, laude sane dignos, suorum Pastorum monitis obsecutos esse ; alicubi vero, ob natas difficultates, datas normas integra ex parte suos effectus consecutas non fuisse. Vos igitur adhortamur ut, paterno ducti animo, inceptum iter insistatis, cum non liceat operarios in vineam Domini missos cotidiano carere pane. Hac de re ne gravemini identidem Nos certiores facere qui successus operam vestram consecuti fuerint.

Ac præterea consilia illa summopere commendamus, Venerabiles Fratres, quæ inter vos collaturi estis, ut non modo in præsens sacerdotibus cotidiano victui necessaria ne desint, sed ut iisdem, etiam in posterum, certis statutis opportunisque rationibus, prospiciatur — quod quidem in civili societate factum admodum probamus — idque cum præcipue vel iidem sacerdotes in morbos incidant, vel devexa valetudine laborent, vel senectute conficiantur. Ita enim eos sollicitudine exsolveritis de futuro ipsorum vitæ statu.

Quam ad rem gratum placet sacerdotibus Nostrum significare animum, qui incommoda posthabentes, quæ inde sibi exoriantur, suis in sacro ministerio collegis, ope egentibus, suppetias venerint ac veniant, senio præsertim, vel infirmitate affectis. Id enim præstantes, egregium mutuæ illius caritatis præbent indicium, quam Christus discipulis suis quasi insigne dedit, quo ab omnibus dignoscerentur : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (Jo., XIII, 35). Ominamur quoque ut arctioribus cotidie fraternæ hujus necessitudinis vinculis Nationum omnium sacerdotes invicem copulentur, ut luculentius usque pateat eos, cum Dei communis omnium Patris administri sint, eodem, ubique gentium commorentur, amoris afflatu inter se animari.

At vobis procul dubio perspectum est gravibus hujus causæ difficultatibus vos mederi penitus non posse, nisi christifideles etiam se officio teneri sentiant, pro sua cujusque parte, clero subveniendi ; ac nisi opportuna omnia adhibeantur, quæ ad hujusmodi conducant finem.

Propterea concreditum vobis populum admoneatis debito eum obstringi ferendi opem sacerdotibus, qui in necessitate versentur ; quandoquidem semper Divini Redemptoris sententia viget : *Dignus est enim operarius mercede sua* (Luc., x, 7). Quomodo enim a sacrorum administris alacrem sui muneris operam postulari potest, quibus necessariæ ad vivendum res non suppetant ? Ceterum qui christifideles hoc neglegunt, Ecclesiæ inimicis, etsi nolentes, viam quasi sternunt, qua facilius iidem queant ad inopiam in non paucis Nationibus redigere clerum, ut eum a legitima auctoritate abstrahant.

Ii etiam, qui publicæ rei præsunt, pro diversis Civitatum condicionibus, necessitatibus cleri consulant oportet, ex cujus perfunctione muneris plurimæ utilitates ad civium animos eorumque mores, summo cum totius societatis profectu, permanare possunt.

Monita et hortamenta

Postremo, antequam scribendi finem faciamus, temperare Nobis non possumus quin ea hortamenta summatim heic vobis iteremus, quæ cotidie ante oculos habeatis necesse est, utpote præcipuæ existimandæ sint vitæ navitatisque vestræ normæ. Cum Jesu Christi sacerdotes simus, eo contendamus oportet, ut quam ipse egit, hominum redemptio validissimam in singulorum animos vim exserat. Gravissimas autem ætatis hujus nostræ necessitates intento reputantibus animo, enitendum nobis est ut fratres, vel a recto itinere aberrantes, vel cupidinum obcæcatos caligine, ad christiana præcepta reducamus ; ut populos christianæ doctrinæ luce collustremus, christianis regamus normis et christianorum officiorum conscientia penitus informemus ; ut denique omnes incitemus ad veritatis et justitiæ animose certanda certamina.

Sanctitas assequenda

At propositam metam tum solummodo assecuturi erimus, cum ad talem sanctitudinis pervenerimus verticem, ut quam a Christo vitam virtutemque in nos derivaverimus, eam in ceteros effundamus.

Singulos igitur sacerdotes Apostoli hortatione monemus : *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii* (I Tim., IV, 14) ; *in omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* (Tit., II, 7, 8).

Dilecti filii, suscepti muneris gratiam plurimi facientes, ita vivite ut eadem in vobis vigeat fructusque pariat uberrimos, qui ad spiritualem Ecclesiæ utilitatem ad ejusque inimicorum emendationem summopere conferant.

Utque paterna hæc adhortatio Nostra quod spectat feliciter assequatur, vos etiam atque etiam hisce verbis admonemus, quæ hoc Sacro præsertim vertente Anno tam opportuna videntur : *Renovamini... spiritu mentis vestræ et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis ; ...estote... imitatores Dei, sicut filii carissimi : et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo ; ...implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis, et in canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino ; ...vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis* (Ephes., IV, 23, 24 ; V, 1, 2 ; V, 18, 19 ; VI, 18).

Quæ Apostoli gentium incitamenta animo recogitantes, opportunum ducimus suadere vobis ut, hoc eodem Sacro volvente Anno, Spiritualibus Exercitiis operam præter statum ordinem detis ; ita quidem ut, pietatis ardore moti, quem inde percepturi estis, ceterorum quique animos ad potiundos divinæ indulgentiæ thesauros aptius advocetis.

Devotio erga Virginem, Matrem amantissimam

Cum autem peculiari modo experiemini quam difficile sit per arduum sanctimoniæ procedre iter, ac vobis creditis perfungi officiis, tum ad eam fidentes oculos fidentemque animum erigite, quæ Æterni Sacerdotis cum sit Genetrix, catholici quoque cleri est Mater amantissima. Non modo hujus Matris erga vos benignitatem optime nostis, sed multis etiam locis, illius Immaculati Cordis misericordia concionando proposita, christiani populi fidem ac pietatem mirum in modum sæpenumero exsuscitastis.

Si omnes Deiparæ Virgini flagranti in amore sunt, at singulari dilectionis studio ipsa sacerdotes amplectitur, qui vivam Jesu Christi imaginem in se referunt. Cum igitur ejusmodi singularem amorem ac peculiarem in vos omnes Beatissimæ Virginis tutelam summo cum animi solacio consideraveritis, tum vestros sentietis ad sanctitatem et ad sacerdotalia exercenda munera nisus faciliores fieri.

Nos Almæ Dei Parenti, cælestium gratiarum conciliatrici, omnes quotquot in orbe terrarum sunt sacerdotes, enixe commendatos volumus, ut, ea deprecante, largissimam Deus effusionem sui Spiritus descendere jubeat ; qui quidem et sacrorum omnes administros ad sanctimoniam impellat, hominumque genus renovatis moribus instauret.

Quæ fausta ac salutaria, Immaculatæ Virginis Mariæ interposito patrocinio, eventura sperantes, supernorum munerum copiam omnibus imploramus ; sacris præsertim Antistitibus ac sacerdotibus, qui, cum Ecclesiæ jura ejusque libertatem pro officii sui conscientia tuiti fuerint, insectationes, carcerem, exsilium patiuntur. Eos Nos peculiari caritate prosequimur ; utque sacerdotali illa, qua adhuc in exemplum præstitere, fortitudine ac virtute excellere pergant, paterno eos adhortamur animo.

Quorum interea supernorum munerum sit auspex paternæque voluntatis Nostræ testis Apostolica Benedictio, quam vobis singulis universis, Venerabilis Fratres, cunctoque clero vestro amantissime impertimus.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die XXIII mensis Septembris anno Maximi jubilæi MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII.

Le devoir primordial du prêtre d'aujourd'hui d'après l'Exhortation

Nous nous proposons, dans les lignes suivantes, de mettre en lumière le point essentiel qui permet de saisir toute la portée de cette Exhortation.

Il nous semble être celui-ci : Le Pape régnant a le devoir et la charge de conduire au salut éternel tous les hommes vivant à la même époque que lui. Pour y travailler, il doit utiliser les prêtres ses contemporains. Or *pour l'époque actuelle, quels prêtres faut-il* [1] *?* Toute l'Exhortation est une réponse à cette question précise. La parole du Pape est donc de la plus brûlante actualité. Et de plus il y engage toute sa responsabilité de vicaire du Christ et de chef terrestre de l'Eglise.

1. — Or ce qu'il demande de tous, ce qu'il attend de tous, actuellement, c'est « une insigne sainteté », sans laquelle « il serait *impossible* que le ministère sacerdotal atteigne pleinement les résultats qui répondraient *d'une façon adéquate aux besoins de notre temps* », sans laquelle « le ministère qui leur est confié ne saurait être fécond ».

Sur cette idée dominante le Pape revient constamment, sans craindre les répétitions. La sainteté est « l'obligation fondamentale du sacerdoce », et les besoins de l'époque où nous vivons ne font que rendre plus impérative, plus indispensable et plus exigeante cette obligation du prêtre à la sainteté. Telle est la clé qui permet de pénétrer dans toute la pensée du Pape, la lumière qui en éclaire toute la portée.

2. — Mais en quoi consiste cette sainteté ? — Dans l'épanouissement de la vie de la grâce, qui se définit par la perfection de la charité. Tout chrétien doit y tendre. Le prêtre le doit à un titre tout spécial : son union au Christ-Prêtre, avec qui il doit collaborer en glorifiant Dieu et en sauvant les âmes. Sans cesse le prêtre doit avoir sous les yeux cet idéal qu'est le Christ ; attiré par lui, il doit « *tendre chaque jour plus vivement à la perfection de vie exigée* par la haute dignité sacerdotale ».

Remarquons bien les expressions employées ici : il s'agit de *tendre* à la perfection par un *effort* quotidien et soutenu. Au religieux (non prêtre), le code (c. 593) dit aussi qu'il doit « tendre à la perfection de son état », *moyennant* la pratique des trois vœux et l'observation de ses règles et constitutions. Pour le prêtre, quels seront *les moyens* indiqués par le Souverain Pontife ?

3. — C'est d'abord l'*humilité*, qui, « éclairée par la foi, dispose l'âme à l'immolation de la volonté par l'*obéissance* » à l'autorité du Christ, vivante dans la hiérachie ; elle est « *à une époque comme la nôtre* où le principe d'autorité est imprudemment ébranlé, *absolument nécessaire*. »

Puis c'est la loi du *célibat ecclésiastique* qui permet de se consacrer entièrement au service de

[1] Tous les passages soulignés l'ont été par nous. Tout ce que nous mettons entre guillemets est tiré de l'*Exhortation*. La traduction française est habituellement celle de la Bonne Presse.

Dieu. Pour garder ce « trésor inestimable », il faut « être sobre, veiller et prier ». Ici est blâmée « cette excessive liberté qui s'introduit toujours plus dans les rapports entre les deux sexes, et essaie d'envahir même l'exercice du saint ministère. » Le Saint Père mentionne le vêtement clérical comme une sauvegarde ; il demande spécialement aux prêtres chargés des œuvres féminines de s'abstenir de toute familiarité et de « se limiter à ce qui est requis par le ministère sacerdotal » proprement dit.

Il faut aussi « tenir son cœur éloigné des richesses » et, même sans vœu spécial, ordonner sa vie dans l'amour de la *pauvreté*, évitant tout luxe et pratiquant la générosité.

D'autres vertus, poursuit l'Exhortation, pourraient être signalées. Pourquoi n'avoir parlé que de ces trois vertus qui constituent l'objet propre des vœux religieux ? Le Pape répond : « Nous avons préféré *ne* souligner *que les vertus qui nous semblent* LE PLUS NÉCESSAIRES A NOTRE ÉPOQUE ».

4. — Notre but n'est pas de résumer le document pontifical, mais d'en dégager l'intention essentielle. Nous venons pour cela de citer, de ses premières pages, les expressions décisives. Mais *toute* l'Exhortation rend le même son.

S'agit-il du St-Sacrifice ? Le prêtre « ne se bornera pas à célébrer la messe, il la vivra intimement ». Et lorsqu'il sera ainsi « uni au Christ... *alors seulement*... il pourra descendre avec confiance *des sommets de la sainteté où il sera parvenu* pour porter à tous les hommes la vie et la lumière surnaturelles de Dieu par le ministère sacerdotal ».

S'agit-il de l'Office divin ? On doit le dire avec piété au nom du peuple chrétien, mais surtout « le méditer », car « c'est un moyen souverainement efficace *pour faire arriver à la sainteté* ».

S'agit-il des autres exercices de piété ? La méditation est un exercice « absolument irremplaçable » : elle doit être « *quotidienne* » (le mot est répété trois fois en quelques lignes) ; « la négliger serait non seulement arrêter ou paralyser le stimulant qui pousse chacun à se sanctifier, mais causer aussi de graves préjudices au ministère sacerdotal... Aucun autre moyen de sanctification ne possède son efficacité ». L'ardent esprit de prière qu'elle engendre et qu'elle entretient « est, *plus que jamais, particulièrement nécessaire de nos jours*, où le naturalisme a envahi les âmes et où la vertu est exposée à des dangers de tout genre, dangers qui se présentent parfois aussi à ceux qui exercent *le ministère sacré* ». Pour le même motif le rosaire, la visite au St-Sacrement, l'examen devront être *quotidiens*. Car tous ces exercices, ainsi que la confession fréquente et la retraite annuelle, doivent nous conduire à « servir le Christ *dans la sainteté et la justice*, tous les jours de notre vie. »

Ainsi se déploie la 1re partie de l'Exhortation. Si vous y cherchez une mise en garde contre les excès possibles dans l'ardeur que doit apporter le prêtre à se sanctifier, vous n'en trouverez point, sinon cette phrase, qui n'est pas un vrai freinage : « La piété et un véritable esprit de prière valent mieux que des prières [vocales] multipliées » sans discrétion. Mais ceci est dit pour mieux recommander « l'esprit d'oraison, *plus nécessaire que jamais de nos jours* ». Pour tout le reste de la vie de piété, l'effort, la fidélité « quotidienne » sont demandées *sans restriction*. Ceci rappelle la parole de Sévère, évêque de Milève, écrivant à S. Augustin (ép. 109) : « Nullus nobis amandi [Deum] modus imponitur, quando ipse ibi modus est sine modo amare », dont S. Bernard donne la formule plus concise : « Modus diligendi Deum est sine modo diligere » (*De dilig. Deo*, c. I, n. 1).

5. — Il n'en va pas de même dans la 2e partie du document, où le Pape traite de la sainteté dans l'exercice du ministère sacerdotal. Certes, il y pousse à des formes nouvelles d'apostolat, dont il donne le nom et précise la nature ; mais immédiatement suivent les avertissements et les mises en garde :

« Que le prêtre cependant se souvienne que son ministère si important sera d'autant plus fécond qu'il sera lui-même plus étroitement uni au Christ et qu'il sera guidé dans l'action par l'esprit du Christ. Alors son action sacerdotale ne se réduira pas à *une activité purement naturelle*, qui fatigue le corps et l'esprit et l'expose, lui prêtre, à *des déviations du droit chemin*, nuisibles tant à lui qu'à l'Eglise ».

Et un peu plus loin ces paroles décisives :

« Nous ne pouvons omettre d'exprimer *notre préoccupation et notre anxiété* à ceux qui, à cause de l'état de choses particulier à cette époque, se sont trop souvent *laissé absorber par le tourbillon de l'activité extérieure jusqu'à négliger* LE PREMIER DEVOIR DU PRÊTRE *qui est le devoir de sa propre sanctification.* Nous avons déjà dit... qu'ils doivent être ramenés dans une voie plus droite ceux *qui présument que l'on peut sauver le monde par ce qu'on a justement appelé « l'hérésie de l'action »*, l'action qui n'a pas son fondement dans l'aide de la grâce et qui ne se sert pas *constamment des moyens nécessaires à l'acquisition de la sainteté.* Mais nous avons également jugé utile de pousser aux œuvres du ministère ceux qui, trop désintéressés des œuvres extérieures et doutant presque de l'efficacité du secours divin, ne s'emploient pas, selon leurs possibilités, à faire pénétrer l'esprit chrétien dans la vie quotidienne en employant toutes les formes d'action qui conviennent à notre époque...

Le but principal des prêtres qui *aspirent, comme ils le doivent, à la sainteté,* doit être de travailler uniquement pour la gloire de Dieu et le salut des âmes...

Quiconque se fixe *comme but sa propre sanctification et celle des autres* doit être muni d'une solide doctrine... et doit s'inspirer toujours fidèlement des prescriptions du Siège Apostolique et des règles fixées par les Evêques. »

6. — Le même souci de faire, de la sanctification personnelle du prêtre, le fondement indispensable et la condition nécessaire de l'apostolat tel que le réclame notre époque anime également la 3e Partie de l'Exhortation. Le Pape veut « y développer *certains points ayant trait à la vie actuelle.* Ceci est d'autant plus nécessaire que, *dans la vie moderne* certaines situations et certaines discussions... requièrent de Nous des remarques plus précises et des soins plus attentifs ».

Or, de quoi parle-t-il ? Du choix et de la formation des futurs prêtres. — A qui en renvoie-t-il la responsabilité ? Aux évêques et sous leur autorité aux prêtres, et non à d'autres. — De quels principes doit s'inspirer la formation des lévites dans les séminaires ? Des prescriptions du Droit Canon, surtout au sujet de la philosophie et de la théologie scolastiques, dont la méthode « pos-

sède une efficacité particulière pour donner à l'esprit des notions claires et pour montrer la cohésion organique et parfaite des vérités confiées à l'Eglise », faute de quoi certains, « s'éloignant des recommandations *récentes* de l'Eglise... ont ouvert la voie à des erreurs et à des opinions confuses ». Tel est le cadre dans lequel peut et doit se situer une formation qui développe la connaissance des acquisitions merveilleuses de la science moderne et qui fasse parvenir progressivement et prudemment les enfants à la délicatesse de la conscience morale, au jugement sain guidé par les vérités révélées et au sens de leurs responsabilités personnelles.

Mais ce que l'Eglise « VEUT PAR DESSUS TOUT, c'est que dans les séminaires les jeunes gens fassent les premiers pas vers *cette sainteté que, par la suite, toute leur vie* doit présenter et fortifier. » Et le pape « insiste », veut qu'ils évitent la routine dans la vie de piété qui est « leur but », qu'ils s'efforcent d'acquérir « les vertus sur lesquelles s'appuie toute la *sainteté des prêtres* ». *Il faut* qu' « à tout prix ils prennent le goût de l'obéissance », qu'ils « estiment et aiment la chasteté » et « l'enracinent dans leurs cœurs », qu'ils aient une tendre piété envers Jésus et Marie afin de s'assurer pour plus tard une activité avisée et féconde. Un soin spécial devra ensuite entourer les jeunes prêtres, pour ménager la transition entre le séminaire et le monde, pour promouvoir, en commun autant que possible, la pratique de la vertu et la mise au point de leur science théologique et humaine.

7. — Dans une 4e Partie, plus brève, le Souverain Pontife veut donner « quelques avertissements au sujet des *dangers plus particuliers à notre époque* ».

Il signale « l'esprit de nouveauté » qui risque de se développer dans des prêtres peu instruits ou peu fervents. Or « la nouveauté n'est *jamais par elle-même* un critère de vérité ». On doit la déplorer en philosophie, dans les arts, dans la vie courante. Le prêtre se gardera de cet engouement pour les nouveautés, dans son vêtement et dans son genre de vie, dans sa prédication et dans son apologétique, enfin et surtout dans son apostolat qui doit être « réglé non pas suivant ses vues personnelles, mais suivant les lois ou les directives de la hiérarchie. Il se trompe entièrement le prêtre qui croit pouvoir, *par une activité insolite et extravagante* cacher *la pauvreté de son âme.* »

Passant ensuite à la question sociale, le Pape n'admet pas que les prêtres se laissent effrayer ou qu'ils hésitent devant le communisme, ni qu'ils se montrent timides ou qu'ils biaisent devant le capitalisme, qui est « l'accumulation excessive des biens privés... Les dommages causés par ces deux systèmes économiques doivent convaincre tout le monde, et spécialement les prêtres, de l'obligation d'adhérer fidèlement à la doctrine sociale de l'Eglise, de la faire connaître et pratiquer ». Car le prêtre se doit aux pauvres et aux riches, pour les amener tous à vivre en disciples du Christ. Et parmi les pauvres, les regards du Père commun des fidèles discerne, avec compassion, les prêtres de bien, des régions, même chrétiennes, et fait appel à tous ses fils et aux pouvoirs publics pour leur éviter la misère qui paralyserait leur ministère sacré.

Résumant enfin, dans une conclusion pressante, « les normes et directives principales » de son Exhortation :

« Nous sommes prêtres du Christ, dit-il. Il faut que nous travaillions de toutes nos forces à ce que la Rédemption opérée par le Christ obtienne la plus efficace application dans toutes les âmes... Nous aurons atteint ce but *seulement* quand nous serons parvenus *à un sommet de sainteté tel* que la vie et les vertus que nous aurons *fait dériver du Christ en nous*, puissent *couler de nous* dans tous les autres hommes. »

C'est de Marie que viendra la bénédiction rendant efficaces « les efforts des prêtres *pour acquérir la sainteté* et pour accomplir les charges du ministère sacerdotal. »

8. — Un peu avant la fin de l'Exhortation, le Souverain Pontife avait « suggéré » à tous les prêtres de faire une retraite supplémentaire au cours de l'Année Sainte, en plus de celle qui est régulièrement établie. Ce vif désir du Pape peut encore recevoir satisfaction en 1951, puisque le jubilé est étendu au monde entier. Pourquoi ne pas prendre pour thème de cette « retraite extraordinaire » l'Exhortation elle-même ? On y trouve en effet, nous dit Pie XII, « les avis et les encouragements que *chaque jour* vous devez avoir devant les yeux ; car il faut les regarder comme les directives principales (*normæ præcipuæ*) de votre vie et de votre activité ».

Ce faisant, on recueillera, dans l'Exhortation, une foule d'autres avis précieux pour la vie spirituelle et pour l'exercice actuel du saint ministère. Si le premier de ces deux points a surtout retenu l'attention du Souverain Pontife, c'est qu'en notre temps l'élan apostolique ne manque pas au prêtre, et le Pape (sauf en un passage que nous avons eu soin de citer) se préoccupe de le diriger plutôt que de l'exciter. Par contre, toute l'Exhortation, nous croyons l'avoir montré, tend à présenter *la sainteté personnelle du prêtre*, non seulement comme une obligation dérivant de l'Ordre reçu, mais aussi et surtout comme la *condition indispensable, spécialement dans le monde actuel, de la fécondité surnaturelle de l'apostolat.* Aux yeux du Pape, la vie et l'activité du prêtre moderne doivent former un ensemble *équilibré.* Mais cet équilibre n'est pas celui de deux plateaux de balance chargés de poids égaux ; c'est celui d'une cathédrale, dont les fondations, les murs, les contreforts doivent être assez puissants et assez enracinés pour supporter le poids des voûtes plus légères et pour permettre à la dentelle de pierre d'une flèche hardie de s'élancer vers le ciel ; c'est celui d'un arbre en plein rapport, dont les racines nombreuses et cachées, dont le tronc robuste et les branches solides sont si pleins de sève que sur eux des fruits, d'un volume et d'un poids comparativement bien moindres, peuvent naître, grossir et mûrir.

Telle est le point central du solennel et précieux enseignement que S. S. Pie XII adresse au clergé du monde entier ; voilà ce qu'il regarde comme la chose la plus nécessaire au prêtre d'aujourd'hui.

F.-M. CATHERINET.